multitudinem beatorum collectam *cęlos cęlorum* propter ſingulos, qui utique cœli ſunt, ac nominatur. Atqui Hebraicè nomen non niſi formæ dualis eſt, poſſetque Græcè, ac Latinè, numquam reddi numero ſingulari. Nec ad litteram *cęli cęlorum* in pſalmo 148. *a*, aliud ſignificant, quam *cęlum cęli*. Myſticè & accommodatitiè loquitur Bernardus. Quomodo Deo cœlum aſſignetur exiſtenti ubique, ſæpius docui, ac removi fatuum errorem, quem quidam denotari Virgiliano putant verſu, qui ſit hinc etiam tranſcriptus.

a v. 4.

Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Quo ſpectat in Alexandri, quam fecit Lyſippus imagine, cervix in ſiniſtrum humerum modicè propenſa, cum inſcriptione, quod *Deo cœlum, illi terra*, hoc eſt, universę imperium terrę relictum eſſet. Et idem ſibi volebant dicentes *ſuper cardines cœli Deum ambulare, nec noſtra conſiderare* b. *Cœlum cęli Domino* non caſu convenit, nec ab alio attributum eſt, quam à ſeipſo, & qui attribuit id ſibi, terram hominibus, non depoſuit, vel abdicavit ſe, ſed nec deponere, atque abdicare ſe potuit cura & providentia rerum quoque quę in terra ſunt, ac in omni omnium univerſitate, niſi deſinat ſimul Deus eſſe. Nititur Villalpand. *c* noſter in deſcritione templi partem aſſignare, quæ reſpondeat habitationi cœleſti pro Deo, ita ut aliæ conveniant hominibus tamquam terra. Per acommodationem *cœlum cœli* uterus fuit Virginis, qui quem cęli capere non poterant, cepit, atque continuit, ita ut tabernaculum ſuum haberet ibi Dei Filius, & ibi perciperetur beatitudo viſioq; Dei, nimirum ab anima Chriſti. Eodem revocare poſſumus anagogicam contemplationem Anaſt. Sinaitæ *d*, *cęlum cęli* eſſe divinam Patris eſſentiam, quæ à Domino ſolo, ideſt, à Filio comprehendi poſſit, ſicut, & hic à Patre, quemadmodum vid. Chriſtus ipſe dixit *e*. Quum animorum noſtrorum patria cœlum ſit, ubi Dominum habemus in ſede majeſtatis exiſtentem, feſtinemus illic ingredi, & converſationem interim ibi habeamus, dum verſamur in corpore & carcere mortis hujus. Terram conceſſam Domino redamus, & largietur cęlum ſuum. Sic queri non poterimus, ut junior Bernardi frater feciſſe ſcribitur, apud abeuntes ad religioſum ordinem fratres, ipſo relicto, cęlum iniqua quadam partitione reſervatum Domino, terram ſolam attributam hominibus. Tandem *cęlum cęli*, hoc eſt beatitudo, domino ſuipſius, & ſuarum paſſionum datur; terra tenebroſa inferni filiis hominum, qui terrena ſapiunt, & ut homines, ideſt, ut carnales, vivunt. Sic Ayguanus.

b Job 22.14. c in Ez. 40. a.p.2.f.40. Senſus accommodatitius. d l. 1. anag. contempl. in Hexam. e Mat. 11.27

Terram autem dedit filiis hominum.) Non ſemper *filii hominum* male ſonant, vel peccatores deſignant, etſi myſticè hoc loco ita multi ſumant. Hominibus data terra dicitur, ut in ea veluti magis eorum dominatus appareat, & exerceatur, ſicut ſuum Deus, quod in terra quoque habet in cęlo magis demonſtrat. Theophilus *f* Alexandrin. hinc refellit Origenem, aſſerentem quod natura corporea vana eſt, ac futilis, & ab animarum, quæ conditę fuerant, peccata, corporum ſubſtituiſſe naturam. Citat pręterea ex Jeremia *g*, *Ego feci terram, & hominem in ea.* Quidam alii *h* confutant eos, qui homines marinos comminiſcuntur, quo iam veris hominibus ad habitandum terra data eſt: illi alii nihil ſunt, niſi vel monſtra, vel dęmonum pręſtigia. Alii *i* aliud videtur, nimirum veros homines, qui Tritones, Syrenæ, Nereides dicuntur: aut certe non in aquis natos, ſed natando, & in aquis vivendo aſſuetos. Hoc ultimum verius. Certè quod ſcribit Ælianus k, ſe ad credendum de Tritonibus, Apollinis reverentia moveri, ſatis indicat dæmonum hac in re ludibria. Argumentum ex hoc loco neceſſarium non videtur, quoniam *terræ* nomine cetera elementa intelligi debent, ex quibus homo conſtat, & quorum uſu ſuſtentatur. Cathar. *l*, Salmer. *m*, Pighius *n*, Savanarola *o*; Petrus de Aquila *p*, Baſſolis *q*, & alii, quos citat noſter Joannes Salas *r*, quamvis non ſequatur, ajunt, & ex hoc etiam probant loco, pueros abſque baptiſmo mortuos, aut alio remedio peccato originalis, poſt reſurrectionem cum beatitudine naturali verſaturos in iſta terra, ut ſic etiam intelligatur *terra data filiis hominum*. Egi hac de re in commentario Petri *ſ*. Præſens locus per ſe videtur eſſe de hominibus pro ſtatu mortalitatis, & idcirco non patrocinatur dictæ opinioni, quæ ſine dubio pauciorum eſt, & minimum minus probabilis. Juxta tropologiam *cęlum cęli*, hoc eſt, cœleſtes, & contemplativi, vacant, ac intendunt Domino: *terra datur filiis hominum*, ideſt, activi, ut humanis infirmitatibus ſubveniant & ſerviant. Allegoricè Hugo *cœlum cœli* Chriſtum ſumit, qui *Domini* dicatur *eſſe*, ideſt, ad honorem Patris: *terram* autem Eccleſiam, quam dedit Apoſtolis & Prædicatoribus excolendam: vel carnem, quam dedit Chriſtus, tùm ad crucifigendum, tùm ad comedendum.

f ep. 2. Paſchali. g cap. 27. 5. h Joan. de Oroſco. 2. embl. in 30. i Alex. ab Alex. l. 3. c. 8 & lib. 11. c. 21. & alii. apud eum Damia Goes in deſcript. Ulyſſipo. Simon Majol. colloq. 2. & 9 & alii apud illum. K lib. 13. c. 11 l Opuſc. de ſtatu puero ſine bap. deceden. & in ep. ad Rom. c. 5. m in ep. ad Rom c. 5. n contro. 1. o de trium phe crucis. p 4. d. 50 q. 2. d. 44. q. 1. art. 5 r in 1. 2. tr. 1 d. 11. ſect. 6. ſ in 2. ep. 3. 15.

Verſ. 25. vel 17.) Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum.

Verſ. 26. vel 18.) Sed nos qui vivimus benedicimus Domino ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

INcolæ cœli Deum qui ſedem ibi habet, laudibus efferunt, hoc eſt, Angeli (qui ſoli ante adventum Chriſti cohabitabant in cęlo cum Deo homines vita functi, & quorum non ſolum, ut nunc in ſepulchris corpora jacebant, ſed animæ concludebantur ſubterraneis locis, priuſquam etiam adveniſſet Chriſtus, & primus ſuomet ingreſſu cęli aliis vim aperuiſſet, non poſſunt externa vocali laude, atq; ceremonia Deum celebrare, ſed quia adhuc degunt hic in corpore. Quocirca ſeipſum, ac mortales omnes cohortari videtur ad frequentandas Dei laudes, eademque opera Deum precari, ut laudationis opportunitatem tribuat, & vitam diutius ſervando, & veterem beneficentiam continuando, noviſque muneribus adaugendo. Similes huic loci præceſſerunt pſal. 6. *t*, 29. *u*, 87. *x*, cum quibus habet affinitatem alius ex Cantico Ezechiæ *y*, & ex Baruch *z*. Id ſibi præterea volunt verba pſalm. 117. a. *Non moriar, ſed vivam & narrabo opera Domini*: quemadmodum & Ezechias canebat, *Vivens vivens, ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.* Baruch autem orans dicebat: *Aperi oculos tuos, & vide, quia non mortui, qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis* dabunt honorem, & juſtificationem Domino. Senſus myſticus cenſeri debet, qui traditur hic à multis, & præterea à Macario Ægyptio *b*, interpretari de peccatoribus, maxime idololatris, qui anima, vita, forma ſpirituali, privati ſunt, ideſt, gratia: Vel exponere de quibuſvis peccatoribus in futura vita, ubi non erit locus pœnitentię, laudiſve divinæ, ſed pœnæ ac lamentationis, ut Cyrillus *c* Jeroſolymitanus præſentem declarat locum. Litteralis locorum ſimilium ſenſus eſt, quicumque ſint extra hic viventium ſtatum, & in alia degant vita, jam non amplius Deum laudare publicè, ſolemniter, edita voce, pulſatis muſicis inſtrumentis, nec ob nova beneficia, quæ quotidie à Deo recipiant, dum liberantur à miſeriis, in quibus ſunt, gratias agere, juxta illud *d*, *numquid mortui facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuã?* Viri etiam ſancti in vetere Teſtamento tam anxiè vel ob hanc rationem deprecabantur mortem, ægritudines, exilia, calamitates mortiferas, quia nondum licebat Deum videre, Chriſto adhuc non incarnato, & ſic optatius quodammodo videbatur in vita permanere, ut Dei conſpectu, quoad licebat, hic fruerentur, ſacrum Deo locum celebrando, in quo ille manifeſtabat ſeſe; cœlo cœli ſolus, quod attinet ad homines fruens, hominibus terram relinquens, ut in ea lauderetur ab illis, & coleretur. Hoc longiore ſermone Caſtro noſter tractat explanans Baruch. Nec tamen crediderim ſimpliciter optatius, & honeſtius viſum viris juſtis trahere longiore mora vitam præſentem, quoniam pluris videtur apud eos fuiſſe ad mortis perſuadendum deſiderium eximi ex ærumnis præſentis vitę, periculiſque peccandi, & conſtitui in juſtorum cœtu licet adhuc in limbo cum certa, & omnino indubitata confirmatione in gratia, & expectatione beatitudinis ſuo tempore obtinendæ. Lamentabatur David *prolongatum incolatum ſuum* e, & petebat *educi de cuſtodia animam ſuam, ad confitendum nomini Domini*, & quia *expectabant eum juſti donec retribueret Deus illi* f; quamvis hæc aliter alii explicent, de cuſtodia ſpeluncæ, ac de aliis calamitatibus. Petivit etiam animæ ſuæ Elias, ut moreretur *g*. Haud dubium, quin motui beati Deum laudent; id enim Joannes facientes recitat *viginti quatuor ſeniores* h, & *audiviſſe ſe* ait *creaturam*, non tantum *in cęlo, & ſuper terram, & in mari*, ſed *& ſub terra ſedenti in throno, & agno bene precari* i. Credo equidem etiam juſtorum animas in purgatorio Deum laudare, quem cognoſcunt, ſperant, amant: in inferno, damnatorum, ſi laus eſt, coacta eſt, ut k fides, vel quatenus laudabilem eſſe cognoſcunt, & quandoque dæmones compellentur coram hominibus divinas laudes confiteri, & prædicare. Ut nihil ex dictis aliis locis pro ſe habeant. Hagiomachi adverſus patrocinium Sanctorum.

Senſus loci. Ante adventum Chriſti vita functorum animæ ubi fuerint. t v. 6. u v. 10. x v. 11. 12. 13. y Eſa. 38. 18 19. 20. z c. 1. 17. a v. 17. Senſus myſticus. b hom. 49. c Catech. 18 d pſ. 87. 11. e pſ. 119. 5. f pſ. 141. 8. Mortuos beatos Deũ laudare non dubitandum. g 3. Reg. 19. 4 h Apoc. 5. 14 i v. 14. k Jac. 2. 19.

Non mortui laudabunt te Domine.) Per *mortuos* quidam cadavera intelligunt, quia non moriuntur animę, vel mortuorum funeſtum, & acerbum ſtatum: vel ſeparatas animas damnatorum: vel etiam quorumq; aliorum juſtorum; vel peccatores adhuc quoque viventes. Quod antea dixi melius, *mortuorum* nomine intelligi ſtatum exiſtentium extra præſentem vitam. Obtinuit autem loquendi uſus de eodem homine, qui nunc vivat, affirmare quum obiit, *eſſe mortuum, jacere in ſepulchro*, nempe ſecundum corpus eſſe in aliquo ex locis ſecundùm animam, in quo ſeparatæ animæ recipiuntur. Acutam obſervationem Auguſtini *a* circa vocabulum *mortuus*, recitavi neſcio quo alio loco, nempe, ut declinari à nobis mors nequit, ſic ab eo quod eſt *mors* latinum verbum præteritum tempus declinari non poſſe, ſed litteram *u* geminatam, & extare illud tempus more nominum, ut *arduus conſpicuus fatuus*. Convenienter, ait, factum eſt, ut quemadmodum id quod ſignificat, non poteſt agendo, ita ipſum verbum declinari loquendo non poſſit.

Acuta Auguſtini circa vocabulum mortuus obſervatio. a 13. de Civ. c. 11.

Neque omnes, qui deſcendunt in infernum.) Hieron. *in ſilentium*, דומה *dumah* abſque præpoſitione. Opportunè uſurpatum id nomen, quia Dei ſilentur laudes ab his, qui vita functi deſcendunt aut in ſepulchrum cadaveris receptaculum, aut in ſubterraneum locum ubi animæ ante adventum Chriſti, & mortem conſiſtebant. Paraphraſtes exprimit *domum ſepulturæ terreſtris*. Imitantur id alii, abſolutè nominantes *ſepulchrum*. Quidam ponunt *oblivionem, in quam abeant morientes. Terra oblivionis* in pſ. 87. *b*, de ſepulchro, & ſubterraneo animarum loco poteſt intelligi. Sed ibi eſt נשיה *neſtiah*. Alii qui explicant *extidium*, ſive *exciſionem*, quæ dictis etiam locis congruit, quia ſolum recipiunt eos quibus eſt exciſa vita. Significat דום *dum*, & *excidere*, & *cadere*. In pſ. 93. *c*, hoc idem nomen דומה *dumah* transfertur per *infernum*, & ἅδην, quæ hic habentur. Licèt autem pro ſepulchro *infernus* quandoque accipiatur, at non ἅδης. Vocant poetæ *umbras ſilentum*, d, *animas ſilentum* e, *concilium ſilentum f*, & loca ipſa in quibus animæ ſunt, *latè ſilentia* g. Sed repetitis in reſurrectione corporibus, vociferationibus, ac ejulatibus complebuntur loca illa omnia irremediabilibus, quando infelices *commanducabunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemabunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis*. Figmentum judico, quod quidam *h* ex Scripturis ſanctis recitant ſeptem inferni damnatorum quaſi diſtinctas manſiones בור *bor* ſive באר *beer*, *puteum* pro illis, qui noluerint peccata confiteri: שאול *ſcol foveam* pro avaris: מות *maveth mortem* pro contemnentibus verba vitę: אל-מות *tſalmaveth umbra mortis*, pro diligentibus vanitates: דומה *damah ſilentium*, quod extat hoc loco, pro iis, qui Chriſtum laudare, eique gratias agere detractaverint, quibus merito propterea imponatur ſilentium: אבדון *avadon exterminium*, pro iracundis: גיהנם *gebennom*, pro crudelibus contra ipſummet Deum & proximum. Sunt hæc nomina ejuſdem loci, non diſtinctarum pro diverſo damnatorum genere in eodem loco manſionum: quemadmodum & nomina totidem inferni, quæ recenſet Galatinus *i* ex Rabbinis, & partim conveniunt cum illis aliis.

b v. 13. c v. 17. d Virg. 6. Æneid. e Ovid. 5. Faſt. f Virg. 6. Æneid. g Ibid. Apoc. 16. 10. 11. Figmentũ ſeptem inferni diſtinctas manſiones ex Scripturis recitantium. h Petr. Valder. exer. pro feria 5. poſt Domin. 2. Quadr. qui citat Geog. Renet. & Ant. Brixi. i lib. 6. c. 7.

Sed nos qui vivimus benedicimus Domino.) Hieron. & alii juxta Hebræum & Græcum נברך *nevarek* εὐλογήσομεν *benedicimus* in futuro. Quidam Græci codices habent εὐλογήσωμεν, *benedicamus*, & ſic Apollin. vertit.

ἡμᾶς οἱ ζώοντες ἀναμνήσωμεν ἄνακτα.

Nos viventes celebremus Regem.

Theodor. εὐλογήσομέν σε κύριε, *benedicemus te Domine*. Additum eſt à LXX. *qui vivimus*, ad majorem expreſſionem. Viventes intelligit ſimpliciter vita corporali; myſticè etiam ſpirituali. Quamvis neſcio an in prima loquens perſona, illos ſignificare voluerit, ut Euthymio placet, qui ſui inſtar, claris eſſent præditi virtutibus. Videtur hoc non nihil alienum à modeſtia & humilitate. Idem ajo de Paulo, quem ad id propoſitum Chryſoſt. affert dum ſcribit K, *nos qui vivimus, qui reſidui ſumus*, &c. Theodoretus obſervat adoratores idolorum inanimorum videri mortuos; vivos, qui Deum viventem adorant. Præterea decere eos, qui Deum colunt, cum omni alacritate ipſum laudare adhuc viventes, utpote quos hoc mors facere prohibeat. Idcirco alio pſalmo *l* Davidem dicere, *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero.* Item *m*. *Cantabo Domino in vita mea, pſallam Domino quamdiu ſum.* Idem ſibi voluit Ezechias, dicens *n*. *Vivens vivens ipſe confitebitur tibi ſicut & ego hodie*; vivens vita naturę vivens vita gratiæ victurus, ſi in hac perſeveret, vita gloriæ, ubi in domo Domini pſalmos ſuos cantabit cunctis diebus vitę *o* illius æternæ. *Etenim beati habitantes in domo Domini, in ſæcula ſæculorum laudant eum* p.

K 1. Theſ. 4. 14. l pſ. 145. 2. m pſ. 103. n Eſa. 38. o ib. v. 20. p pſ. 83. 5.

Ex hoc nunc, & uſque in ſęculum.) Hieron. *à modo, & uſque in æternum.* In præſenti nimirum, ac futura vita, ut jam dicebamus. Quamvis ad litteram poſſit ea phraſis de toto præſentis vitæ ſpatio intelligi, ac de duratione mundi; ut quoad hic durabit, à viventibus benedicatur Domino per ſolemnem, publicam, externam, vocalem, ſonoram benedictionem, & laudem.

Habent in fine Hebr. codices, & aliqui Græci הללויה *halleluia* ἀλληλούϊα. Sed ut jam pridem in aliis pſalmis annotavi, ſpectat potius ad epigraphen, titulumque pſalmi ſequentis.

PSALMUS

CENTESIMUS DECIMUS QUARTUS.

Alleluja.

1 DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.
2 Quia inclinavit aurem ſuam mihi: & in diebus meis invocabo.
3 Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.
Tribulationem & dolorem inveni: 4. & nomen Domini invocavi.
O Domine libera animam meam; 5. miſericors Dominus: & juſtus, & Deus noſter miſeretur.
6 Cuſtodiens parvulos Dominus, humiliatus ſum, & liberavit me.
7 Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi.
8 Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.
9 Placebo Domino in regione vivorum.

Titulus, & Argumentum.

Alleluja.

IN fine pſalmi precedentis monui *alleluja* non ad illum pertinere, ſed ad titulum præſentis. Quid autem ſignificet, jam dudum ante declaratum eſt. Quod attinet ad argumentum, Anaſt. ab Agellio citatus, vult gratiarum actionem eſſe ſub perſona populi Babylone reverſi. Id etiam Hebræi nonnulli approbant. Theodoret. continere prædictionem putat de fortiſſimorum Machabæorum, & aliorum conſtantia, qui Antiochi Epiphanis impia edicta contemturi erant, ne legem, ac pietatem in Deum violarent. Plures ex Hebræis, & ex Catholicis recentioribus, Lyran. quoq; Ayguanus, Trevetus aſſerunt agere Davidem gratias pro liberatione ſua, dum fugiſſet à facie Saulis, ac ſe abſcondiſſet cum ſuis in deſerto Maon, & proditus à Ziphæis comprehenſus eſſet, niſi ſubito Saul revocatus fuiſſet contra Philiſthæos *q*. Cajet. hoc probat ex modo loquendi ejuſdem Davidis iſto, & ſequenti pſalmo, quem cum Hebræis unicum conſtat comparando cum iis, quæ ab eodem dicuntur in fine 30. quem Hebr. more nominat 31. & in principio 17. qui Hebræis iiſdem eſt 18. Addit Agell. videri ſibi potius tangi hoc pſal. fugam Davidis, quum eum Abſalon filius peſequeretur *r*: ac videri argumenti ejuſdem cum pſalmo 30. quia non-

Titulus ſuperius explicatus eſt. Argumentum. q 1. Reg. 23. 24. 27. 28. r 2. Reg. 15. 14.

nonnullas eaſdem voces habet, Janſenius meminit de periculo, quando ſtultitiam ſimulavit coram Achis *a*. Quidam quando in urbe Ceilam obſeſſus, ex extremum vitę periculum evaſit *b*, Aſſerunt alii temporalem aliquam preſſuram, vel morbum, à quo cupiebat David liberari. Baſilius, Chryſoſt., Auguſt., creditus Hieron., & ceteri fere Latini, arbitrantur ſermonem eſſe, ſaltem ſub dictis illis typis, de illo, qui concupiſcat æternam ſalutem, ob tentationes vero, periculaque ingemiſcat; vel gratias agi pro toto genere humano; quia liberatum ſit captivitate diaboli, vivificatum ab ęterna morte; conſtitutum *in regione vivorum*, idest, in Eccleſia Chriſti, ubi vivitur per gratiam, ut ſemper vivatur per gloriam. Hoc verum eſt, prætereaque formam hîc contineri exercendi ſe in Dei amore; atque ob accepta beneficia, frequentemque ex periculis liberationem, excitandi ſe magis ad eumdem amorem ſpem, & ſtudendi, ut ei placeamus, qui cuſtos eſt humilium, benefactor, & requies eorum, qui ſe convertunt ad illum, & conatus ſuos ad ipſum dirigunt. Amb. in oratione de obitu Theodoſii eleganter ſimul, ac piè pſal. hunc totũ explanat, & accommodat tùm ad vita functum Imperatorem, quem deflet, tùm ad ſeipſum, ut ſe tractatione ejuſdem pſalmi conſoletur, & ſuum pro Theodoſio votum exponat. Obſervat autem in quartodecimo pſalmo perfectionem hominis tradi; ſed illic formatum perfectum licet virum, adhuc eſſe obnoxium peccato, quia vivit in ſæculo; hic veram pefectionem eſſe, ubi jam culpa ceſſavit, gratia perpetuæ quietis affulſit: ideo centeſimum decimum quartum ordine pſal. eſſe quia remuneratio charitatis eſt: hac etiam de cauſſa Paſcha quarta decima luna formam celebritatis accepiſſe; quoniam qui Paſcha celebrat, debet eſſe perfectus, debet amare Dominum Jeſum, qui diligens populum ſuum perfecta charitate, ſeſe obtulit paſſioni; denique grande hoc eſſe numeri myſterium. Recitabatur fortaſſis etiam tempore Ambroſii in veſpertino pro defunctis officio, ut nunc fit, pſalmus hic, qui primum quoque locum tenet. Ex eo quidam diſci certe poteſt tum per quid exaudiatur oratio, tum quod per hanc ad Deum confugiendum ſit, ut auxilium obtineatur; tum ad quam inſtante morte componere ſe quietem poſſit, qui vitam traduxerit in exercitio orationis, atque fiduciæ in Deum. Fridericus Trajectenſis martyr dato poſt vulnera ſpatio, vivus intrans in tumulum, pſalmodias quæ in funere cantari ſolent; ipſe inchoans, dixit. *Placebo Domino in regione vivorum* c. Athanaſius qui tribulatus invocare Dominum velit, & quoniam ille exaudiverit; gratia agere, Marcellino proponit hunc pſalmum cum 4.

a 1 Reg. 21. 2 7. 5. b 2. Reg. 23. c 8.

Cauſa cur pſ. hic centeſimus decimus quartus conſtituatur ordine. Pſ. hic in officio pro defunctis recitatur; c Surius to. 4. 18. Jul.

Verſ. 1.) Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Senſus loci.

DUplex eſſe ſenſus poteſt; ut vel Dav. ſe dilexiſſe dicat, ſcilicet Dominum, quoniam is pro ſua naturali benignitate, ſicut hactenus fecit, ac facere ſolet, ita ſit imposterum exauditurus vocem orationis ejus. Vel particulam *quoniam* non ætiologicè, & cauſſaliter ſumendo, ſed exegeticè & expoſitivè, ſeu continuativè, ut ſignificet ſe hoc ipſum dilexiſſe, quod ſpem certam concepiſſet exaudiendam orationem ſuam à Domino, utpote qui benignus, atque miſericors facilem ſe hac in re prębere ſoleat, quemadmodum ipſemet multis in ſeipſo experimentis compertum, comprobatumque habuerit. Grata & amabilis, inquit fuit mihi exauditio qua Dominus vota, preceſque meas conſuetis exaudire. Totum de divinus occupavit amor affectum in eo totum collocavi & fixi, certus omnino me illi eſſe cordi & curæ, ut quidquid poſtulavero, ſtatim annuat & abundè ſuppeditet. Inducit Ambroſius *d* recedentem è terris piam Theodoſii animam, & ſancto Spiritu repletam, quaſi interrogabundus iis, qui ſibi occurreret, quum ad ſublimia & ſuperna ſubigeret, dicere,) Dilexi, quia ſervavit hoſtes, dilexit inimicos, iis, à quibus eſt appetitus, ignovit, regni affectatores perire non eſt paſſus,) Ait præterea, non mediocris ſed perfecti in lege vocem iſtam eſſe. Deinde obſervat, quum abſolute dicitur, *dilexi*, & quid tacetur, urgeri nos dilectionis vero divinæ gratiam ſignificari, qua diligimus illud, quod eſt ſuper omnia deſiderabilia deſiderabile, de quo ſcriptum eſt, *Diliges e Dominum Deum tuum*, Poſtremo idem verbum ter hîc ſubintelligit, quemadmodum tot vicibus ad confirmandam charitatem, & abolendam

d ora. de obi. Theodoſii. e Deuter. 6 5.

A trinam negationem, Chriſtus exegit à Petro, an ipſum amaret, ſive diligieret *f*, nempe *Dilexi quoniam exaudit Dominus vocem orationis meæ: dilexi, quoniam inclinavit aurem ſuam mihi*, &c. *dilexi, quia tribulationem & dolorem inveni, & pro nomine Dei mei pericula inferni non refugi*, &c.

f Joan. 21. 15 16. 17.

Dilexi.) Simile principium pſalmi 17. cujus & ſimile argumentum, quam vis ibi ſit in futuro, & cum affixo, & aliud vebum ארחמך *erchameKa*, hic autem אהבתי *abauthi*. Poſſet eſſe præteritum pro præſenti, quo carent Hebræi, aut etiam pro futuro, Sed quidquid ſit de hoc mutuo temporum uſu, propter quem quoque explicant aliqui in hoc membro *exaudiet* eſſe pro *exaudit*, vel *exaudivit*: oportet nos tranſlationem noſtram ſequi, & ſumere in præterito. Eſt autem eclyptica, defectiva, conciſaque oratio, non exprimens quid, quemve dilexerit, niſi dicas id quod ſequitur, eſſe objectum, circa quod actio diligiendi, aut complacendi ſibi, & gratum habendi, verſata ſit, nempe, *quoniam exaudiet Dominus*, &c. Alioqui ſuppleri debebit *Dominum*, nempe *dilexi Dominum* aut pręterea *proximum*; quia vulgo ſatis notum erat, Da-
B videm hos diligere, etiam hoſtes ipſos, ut Cajetanus notat. Ardens item alterius amore, arbitranſque perinde ab aliis eumdem amari, vel perfectum aliis amorem ſuum, quum de illo loquitur, etiam ſi non nominet, exiſtimat ab omnibus percipi quis ſit, ut accidit Magdalenæ dicenti *g* *Tulerunt Dominum meum*, &c. Hoc eſt, quod ex Ambroſio retuli, judicari per abſolutum verbum *dilexi* id, quod eſt ſuper omnia deſiderabilia deſiderabile. Sic profecto ad ſonum iſtius verbi, aut alterius idẽ ſignificantis, nihil aliud concipere deberet animus noſter, niſi Deum, qui ſolus dignus eſt diligi; vel ut ſi quid aliud diligatur, quemadmodum proximus, aut appetatur, veluti commoda noſtra, media beatitudinis, beatitudo ipſa, diligatur dumtaxat propter illum. Sic ſi ludere quandoque pie licet, in crementis litterarũ dicere poſſumus, quod *amor* hic *ambit mundi omnes res*, quarum ſit centrum Deus; quodque *cor* diligientis Deũ eſt *camera omnipotentis Regis*. Hugo declarat de Eccleſia, ante Chriſti adventum, diligente, ac optante ipſum adventũ ejus: poſtquam advenit, optante, ac poſtulante bona æterna; de Chriſto, qui propter dilectionem Patris pati voluit, dicens *h Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*: & propter dilectionem proximi,
C quia dixit etiam *i*, quod *majorem hac diletionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: de quolibet juſto, quoniam recti diligunt ſponſum *k* & *hoc eſt primum & maximum mandatum l* Unus Franciſci ſodalium; ſi qua ſubibat animum de re alia, quæ non eſſet Deus, vel Dei cogitatio, vociferabatur cum execratione, & abſcedere jubebat, quia jam cor quaſi cameram ſuam Omnip. Rex occupaviſſet. Tritum & illud Aug.) Minus te Domine amat, qui aliquid, quod tu nos es, vel non propter te, amat.) Deo pro beneficio Incarnationis, proque aliis, & pro amore ipſo ejus, qui fons eſt omnium beneficiorũ, debetur viciſſim amor, nec eo modo, quo creaturæ, licet compenſari poteſt aliter, quam amore & dilectione. Videat quiſque, an ex animo, ac verè dicere poſſit, *dilexi, diligo, diligam*. Reſpondit Petrus contriſtatus ad interogationem tertiam, *Domine m, tu omnia noſti, tu ſcis: qui amo te*, &c. Baſilius in homilia ſuper hoc pſalmo, quem totum tractat de Martyribus, quũ dixiſſet, quod ex eo mutuatum ſuſpicor Ambroſium prius citatum, qui mirificè delectari ſe ſcriptis Baſilii in ſuis demonſtrat
D ſcriptis perfecti tantum eſſe, ac ſervituris timore prætergreſſi, & in adoptationis ſpiritu conſtitui dicere, *dilexi*: nec appoſuiſſe Davidem quem dilexiſſet; quod is, vel indictus facile intelligeretur, nimirum Deus univerſorum; quia quod proprie amabile eſt, Deus eſt, quum amabile, ac per ſe diligibile definiatur, quod omnia expetunt; Deus autem primum, ac perfectiſſimum ſit bonum. Poſtquã hæc, inquam, omnia dixiſſet, ſubdit iſtud quaſi fundamentum à Davide jactum ut ob hunc Dei amorem doceret, atque unius Dei gratia in ſe recepiſſe afflictione cum gaudio tolerandas, nempe dolores mortis, pericula inferni, tribulationem, & dolorem. Ait ſimilem eſſe Pauli ſententiam, & eodem à Dav. hanc affectu prolatam, quo ille illam protulit *n*, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia?* &c. Tandem facit hîc Davidem loquentem. Dilexi igitur hęc omnia ſciens quod hęc ego tolerem, ac ſuſtineam vitæ diſcrimina pro tuenda pietate, mei hujus certaminis ſpectatore, & arbitrio præmiorum, univerſorum Domino.

g Joan. 20. 15. In elementis litterarum amor, & cor luſus. h Joan. 1. 32. i cap. 15. 13. k Cant. 1. 4. l Matt. 22. 38. m Joan. 21. 15. n Rom. 8. 35.

A no. Euthymius, & Nicephoras declarant εὐφράνθην, *lætatus ſum*. Concedi poteſt ἀγαπᾶ id etiam valere, ſive contentum eſſe. At uſum iſtum non habet *diligo*, & אהב *ahau*. Quamvis amorem comitetur lætitia, & fructum Spiritus Sancti, qui eſt charitas, gaudium proxime ſequatur, *a* Poſtremo, quum David ſe dilexiſſe dicit, fidem ſupponit, præterea quod *non prior dilexerit, ſed Dominus illum*. b

a Gala. 5. 4. b 1. Joa. 4. 19.

Quoniam.) Putat Cajetanus metri cauſſa poſtpoſitam particulam iſtam, ita ut rectus ordo ſit, *quoniam dilexi*, ſeu *ob eam cauſſam, quia dilexi*. Placet Placido Parmenſi, qui perpetuo affectatur Cajetanum, & Jacobo Janſonio. Sine dubio charitas orantis magna eſt cauſſa, propter quam exaudiatur oratio, & *multum valet oratio juſti*: *c & voluntatem timentium ſe facit Dominus*: *d* ſi *diligenti multum remittuntur peccata*, *e* juſtificato concedentur alia beneficia. Ceteri referunt ad verba ſequentia, *quoniam exaudiet*, &c. ſive continuativè accipiatur, & loco accuſativi, *dilexi hoc, quod exaudiet*, &c. ſive cauſſaliter, *propterea dilexi, quoniam exaudiet*, &c. Hoc ulti-
B timum pluribus arridet, & vocibus ipſis per ſe magis congruit, *quoniam*, כי *chi*. Diligendi Deum cauſſa magna, quod tantus Dominus, nullius egens, tam ſit facilis ad audiendum viliſſimum mancipium, *ſuavis, & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus ſe*. f

Charitas orantis cauſa eſt, propter quam exaudiatur oratio. c Jacob. 5. 7. d Pſ. 144. 19. e Luca 7. 47. f Pſal. 85. 5.

Exaudiet Dominus.) Monui, nonnullos interpretari futurum poſitum pro præterito, vel præſenti, *dilexi, quoniam exaudivit Dominus*. vel *exaudit*, vel *exaudire ſolet*. Utuntur futuris Heb. circa res ſolitas, & debitas, Apollinarius reddit in tempore præſenti,

ἱκεσίης ἀΐοντ۞ ἐμῆς ἀγάπησα θεοῖο.
Precationem exaudiente meam, dilexi, Deo.

In Romano Pſalterio, & apud Caſſiodorum extas, *exaudivit*. Chryſoſtomus, & Auctor ſcholiorum in Pſalmos, nomen gerens Baſilii, nihil autem aliud niſi Chryſoſtomum redigens in ſummam, multos obſervant eſſe, qui dum exaudiuntur, non diligunt, videlicet, qui hujus mundi curis dedicati ſunt, nolentes audire ea, quæ illis
C conferunt, ſed rogantes quidem, ut eveniant; ubi vero evenerint, contriſtati, nec parati acquieſcere Dei voluntati qui novit quæ conferant, & confert quæ conducunt, etiamſi ſint perſecutiones, afflictiones, anguſtiæ. Paules placebat ſibi in infirmitatibus, in contumeliis, in perſecutionibus, audiens à Domino, quod *ſufficeret ei gratia ipſius, & virtus in infirmitate perficeretur*. g Vera dilectio Dei ſpectat Deum in ſe ſecundùm ſe, propter ſe dilectum; nec tamen excludit quæ vocantur motiva, ſcilicet beneficia, hæcque ipſa vult potiſſimùm eſſe ſpiritualia. Acuunt beneficia, fovent, augent amorem Dei, & efficiunt, ut novo ametur titulo, licèt per ſe ſit amabilis, & amandus, etiam abſque beneficiis, idque quantum in nobis eſt, ſecundùm æſtimationem ſuper omnia, & ex toto corde, anima, mente, viribus. Unde ſatis ſit quæſtioni Ayguani, an teneamur plus Deum diligere propter beneficium, quam ſine beneficio. Tenemur extenſivè, ut loquuntur, & pluribus de cauſſis, ſive titulis; quia quum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum, ut ſcribit Gregorius, *h* & obligatiores ſumus in reddenda
D ratione. Diligit quodammodo peccator Deum exaudientem, & *confitetur, quum benefecerit ei*. *i* Juſtus verus dilector Dei exauditur, ſemper, quia voluntatum quærit Dei in omni re, quam petit, & idcirco diligit hac ipſa de cauſſa.

g 2. Cor. 12. 9 10. Satis fit quæſtioni Ayguani. h homil. 9. in Evang. i Pſal. 48. 19

Vocem orationis meæ.) Hieronymus. Auguſtinus, Pſalterium vetus, *deprecationis meæ*, Alii, *vocem deprecationum mearum*, vel *vocem meam, & deprecationes meas*. Hebraicè קולי תחנוני *koli thachanunai*. Ubi primæ dictionis ultima littera ſi redundat, pendet à ſequenti; ſi eſt paragogicum pronomen primæ perſonæ, ſicut in ſequenti, ab hac non pendet, ſupplendaque conjunctio; & ſecundam autem dictionem LXX. & Hieronymus legerunt in ſingulari numero, תחנוני *thachanuni*. Quod nomen à חנן *chanan*, & חן *chen* videtur ſignificare *deprecationem gratiæ*. Lege nota ad primum verbum Pſalmi quinquageſimi.

Verſ. 2.) Quia inclinavit aurem ſuam mihi, & in diebus meis invocabo.

Senſus loci.

DIcit ſe Deum dilexiſſe, quod certus eſſet ab eo ſe exaudiendum; quia didicit experimento id eum feciſſe, ac facere ſolere, ac etiam ultro ad petendum provocare, aurem ad nos inclinando, & orandi cogitationem, deſideriumque immittendo; propterea etiam decreviſſe, quamdiu vivat, & occaſio offerat ſeſe, non prætermittere, quin & auxilium imploret, & pro impetrato gratias agat, verbiſque apud alios gratum animum ſuum adverſus Deum declaret, illumque perdicet. Myſticè inclinatio eſt per incarnationem, dies invocandi, *tempus* hoc univerſum *acceptabile, dieſque ſalutis*. k

k 2. Cor. 6. 2.

Quia inclinavit aurem ſuam.) Metaphora ab iis, qui alios audituri aures præbent attentas, & ad ſupplicantis preces, capite inclinato aures accommodant, & quod petitur concedentes, caput etiam inclinant: Occurrit aliàs *l* ante phraſis eadem. Humanis verbis, ait Chryſoſtom.
B Dei nutum oſtendit, quodque quum non eſſet homo dignus exaudiri, ipſe tamen deſcendit ad illum. Non ut corpus aliquod, aut aures in Deo cogites, inquit in homilia Baſilius, quas ad vocis humilitatem inclinet: quod facere ſolemus erga eos, qui ſubmiſsè loquuntur, prope admovendo aures, ut ex propinquo ſenſus excipiamus quod loquuntur: ſed ut infirmitatem noſtram declararet, ad nos in humum dejectos, ſua erga nos benignitate ſe demittens. Dat exemplum humani Medici, qui ægrotanti, ac ex multa debilitate loqui clarè nequeunti, auribus proprius admotis, ediſcit quæ ſint illi neceſſaria. Docet denique, à Deo exaudiri cordis internos motus, Moyſis tacitos clamores, *m* ſanguinem Abel, *n* aliorumque juſtorum, operum item bonorum præſentiam maximam apud Deum vocem eſſe. Imitatur Baſilium Ambroſius, *o* & adjicit inclinationem eſſe condeſcenſionem, & ut jacens erigatur, mortuus ſuſcitetur, infirmitatis relevetur ſubſtantia, noſtra ad eum aſcendat oratio. Idem ferè à reliquis Patribus traditur ſenſus, juxta illud etiam, *Inclinavit p cœlos, & deſcendit*. Per Chriſtum fiunt ad Patrem
C preces noſtræ, velutique per eum ut per ſapientiam percipiuntur; idcirco *auris* ei nomen, ac ratio, ut Ayguanus notat, attribuitur, non ſolum *Verbi*, quod à Patre dicitur, & carne involutum quaſi pronuntiatur.

l Pſ. 10. 6. Pſ. 30. 3. Pſ. 70. 2 Pſ. 85. 1. Pſa. 87. 3. Pſalm. 101. 3. m Exo. 14. 15 n Gen. 4. 10. o de obitu Theodoſii. p Pſ. 17. 18.

Et in diebus meis invocabo.) Additur in Romano Pſalt. & apud Caſſiodorum, *eum*; in vetere autem, apudque Auguſt. Proſperum, Ambroſium, q *invocavi*. In quibuſdam codicibus Græcis teſte Hieron. r, *te*. *In diebus meis* Apollinarius explicat ἐμπεδίως *continuo, & ſemper* nempe quoad vivam. Idem valet τὸ ἀδιαλείπτως. Nicephori, abſque diſcontinuatione. Quod præcedente dicebatur Pſal. *nos qui vivimus benedicimus Domino ex hoc nunc & uſque in ſeculum*. Ubi ſimiles alios dicendi modos attulimus. Cajet. Davidem loqui vult de cultu externo, & ſolemni, cui quo ad vixit, vacavit: Salomoni autem in primis commendavit. Baſilius in ſcholiis, & ſumit cauſſaliter, ideſt propterea quod exauditus ſum, non reſiliam ab oratione, ſed omnibus vitæ diebus hoc faciam. Non quia ſum exauditus, evadam negligentior, inquit Chryſoſt. ſed omnibus diebus vitæ meæ hoc munus obibo. Baſilius
D in homilia redarguit eos, qui quum vel una oraverint die, vel hora una brevem aliquam ſuper peccatis ſuis triſtitiam paſſi fuerint, ſibi ſecuritatem promittunt, perinde ac quippiam confeciſſent quod ex æquo reſponderet diluendæ omni ſuæ malitiæ. Certis diebus invocare, non omnibus, faſtidientis eſſe ait Ambroſius, *ſ* non ſperantis, & pro uſu affluentium commodorum mercedem gratiarum referre, non pro devotionis affectu: *in omnibus gratias agendas*, *t* quia numquam non habemus quod Deo debeamus, numquam ſumus ſine Dei munere, quibus quotidie vivendi uſus à Domino eſt; *nihil nos habemus quod non acceperimus*, *u* & quia ſemper accipimus, ſemper invocare debemus; & quia quod habemus, à Domino eſt, debitores nos ſemper cognoſcere oportet. Spatium vitæ aliquando exprimitur per *omnes dies vitæ*, *x* vel per *dies*; *y* vel per *dies annorum*. z Poſſunt nihilominus hoc loco *dies* ſignificare tempora periculoſa, & dura. Sic in Pſalmo 136. *a* ſumitur *dies Jeruſalem*: *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Jeruſalem*. Præterea *dies ſalutis, tempuſque acceptabile*. *b* Quo pacto apud Lucam *c* Chriſtus flens ſuper eamdem civitatem dicebat, *quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*. Noſtrum nunc eſt

q de obitu Theodoſii. r Epiſt. 135. ſ de obitu Theod. t 1. Theſſ. 5. 16. u 1. Cor. 4. 7. x Pſal. 22. 6. Pſalm. 26. 4. Pſalm. 27. 3. y Pſal. 18. 5. Pſ. 101. 24. 25 Pſal. 108. 8. z Pſal. 89. 10 a verſ. 7. b 1. Cor. 6. 2 c c. 18. 41. 42.

eſt tempus, ac dies ad operandum, negotiandum, pœnitendum, merendum: *venient dies in nos, quando circumdabunt nos inimici* a *veniet dies Domini magna*, b *& accipiens tempus juſtitias judicabit*. c Invocemus dum vacat, corde, ore, opere, intus, ac intenſe, ut Hugo ad compoſitionem alludit Latini verbi. Agnoſcamus cum Auguſtino hos dies noſtros miſeriæ noſtræ, & mortalitatis, dies ſecundùm Adam plenos laboris, & ſudoris, dies ſecundùm vetuſtatem putredinis, dies, quos ipſi nobis fecimus privata audacia, qua deſeruimus Dominum Deum. Creditus Hieronymus movet quæſtionem cur *in diebus* invocaturum ſe dicat Propheta, quum alibi dicat, d *media nocte*; & hoc tempore Sancti plus ſoleant orare, & idem David alio loco e invitet ſervos Domini *in noctibus extollere manus in ſancta, & benedicere Dominum*. Reſpondet de futuro tempore loqui; dum in hoc mundo ſumus in nocte invocare. Myſticum & hoc eſt.

a verſ.34. b Jere. 30.7. Amos 5. 18. Joel 2.11. 31. Soph. 1.14.15 16. c Pſ.74.3. d Pſ. 118.62. e Pſa. 132.4.

Verſ. 3) Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me:
Tribulationem, & dolorem inveni.

Senſus loci. EXponit quæ illi orandi cauſſa, materiaque fuerit: nimirum vitæ diſcrimen graviſſimum, ut nihil propius eſſet, quam inferri ſepulchro, & migrare in ſubterraneum animarum locum, quum ipſum premerent mortis imminentis, ac inevitabilis humana ope, vehementiſſimæ, atque lethiferæ cogitationes. Ait etiam & quod quaſi fugientem retro perſequebantur periculoſa mala iſta, & fugienti occurſabant tribulatio in corpore, in animo dolor. In Pſ. 17. f pœne genuina huic ſententia fuit. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis; In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi*: &c. Ad litteram locus uterque de gravi aliqua calamitate temporalis agit: myſticè etiam de ſpirituali, hoc eſt, de multiplici genere circumſtantium, & obſidentium nos mortiferarum tentationum, quæ maximo dolore afficiunt virum pium, ac timentem Deum, ob periculum mortis animæ per gratiæ jacturam, & damnationis æternæ; & quia ibi deprehendit inſidias, & pericula, ubi alii delicias, & ſecuritatem; immo ipſemet prius forſan has æſtimabat, quum nondum ſatis eſſet divino lumine illuſtratus. Videri ſibi is, qui videtur aliquibus Hier. ait *dolorem mortis* cogitationes eſſe fœdas, quando anima cogitat, & peccare deſiderat, quando parturit peccata, vicinam eſſe morti. Si cogitando deſideret aſſenſu deliberato, mortem animæ ſubit, quæ privatio gratiæ eſt; non ſolum quãdo parturit, ideſt, exterius exequitur. Jacob. Vitriacus g *pericula inferni* vocat tentationes, & primos motus, quibus niſi reſiſtatur, anima ad infernum trahitur. Præterea *dolores inferni* collocat in inferiore parte, quæ dicitur ſenſualitas; & ad infernum ducere poſſe, ſi nempe non reſiſtatur: *dolores mortis* exponit eſſe carnis mortalis. Ex iſto loquendi modo aut ſimili expoſitorum hujus loci, tùm Baſilii in homilia, qui diſertè nominat mortale peccatum, colligitur diſtinctio peccati mortalis, & venialis; atq;ob iſtud non eſſe opus dicere, *circumdederunt me dolores mortis*. Ubi Latinus interpres non ſatis fideliter tranſtulit ὁ γενόμενος ἐν ἁμαρτίᾳ τινὶ τῇ πρὸς θάνατον; *qui uſque ad mortem in aliquo peccato conſtitutus fuerit*. Vertere debuit *in aliquo peccato ad mortem*, ſive *mortalis*. Convenit Chriſto hæc ſententia, obſeſſo doloribus mortis in paſſione, & periculis inferni eorum, pro quibus patiebatur. Quadrat & in Eccleſiam in ſuis martyribus perſecutionem patientem, quantum ad corpora, & quantum ad animas, tentationes. *Fortis ut mors dilectio* Chriſti, *dura velut inferni æmulatio*. h

f verſ.5.6.7. Senſus Myſticus. g Serm. 1. in Dom. Sept. Diſtinctio peccati mortalis & venialis colligitur. h Cant.1.6.

Circumdederunt me dolores mortis.) Hieron. *funes*, ut etiam in Pſ. 17. i ubi ſunt eadem prorſus verba, & nomen חבלים *chavalim*, quod utrumque ſignificat, & *funes*, unde forſan Gallicum *chable*, & *dolores*, & *termina* maxima parturientium. Eſſe autem ὠδῖνας nomen Græcum præſentis loci, ut in homilia Baſilius admonet, propriè parturientium; tales videri quos patiuntur moribundi in animæ, & corporis diviſione, perinde ac illæ in fœtus protruſione quum partes genitales divexantur, fibræque diſtenduntur, & convelluntur, acutiſſimos acerbiſſimoſque dolores ſuſtinent. *Cinctum* denotat verbum cum affixo אפפוני *aphaphuni*, & congruit obſidioni, qua Da-A vidam Saul cinxit in coronæ. Juxtà ſignificationem quoque alterius Hebr. nominis pro funibus, alluſio eſt, vel ad laqueos ferarum, vel ad eos quibus Rei trahuntur in carcerem, ac mortem, ne evadant. Hanc ſententiam non modo juxta dictum ſpiritualem ſenſum quilibet pro ſeipſo poteſt uſurpare, dum *infelix* verſatur *in corpore morte hujus*, k expoſitus mille peccandi periculis, infirmitatibus, miſeriis; ſed per charitatem, & ſympathiam Chriſtianam pro aliis eadem ratione periclitantibus. Hoc potiſſimùm facere Paſtores animarum debent, Pauli exemplo, quia alio urebatur ſcandalizato, & infirmato infirmabatur l velut mater. De ſeipſo Ambroſius m utens iſta ſententia, teſtatur, & loquens in genere de Sacerdote, ſeu de Epiſcopo, (Multorum enim, ait, pericula ſunt, ſed remedia paucorum. In omnibus Sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur. Quod enim alii patiuntur, ipſe ſuſtinet.) Et iterum, Liberatur, quum alii, qui tenentur, periculis liberantur. Hugo *dolores mortis* Tropologicè applicat ad gulam, & luxuriam, *pericula inferni* ad avaritiam. Ceterum quoniam Eccleſia in Officio de-B functorum accommodat ad Purgatorii animas illa verba, *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me*, quidam argumentantur non eſſe ſecuras de ſua ſalute, ſaltem omnes, quod Lutherus n in ſuis articulis poſuit, & ſenſerat antea Carthuſianus, o & poſtea Michael Bajus, p & deduci putant ex ſententia Gerſonis, q & Roffenſis, r docentium veniale peccatum tale eſſe tantum ex Dei miſericordia, poſſeque in æternum puniri, ſi Deus velit: ſequitur enim, quum hoc neſciant, neſcire an ſint in æternum puniendæ. Norunt omnes ſe eſſe in gratia, & extra ſtatum vitæ, & in Purgatorio, & Purgatorium eſſe locum ſalvandorum, & credibile eſt habere viſitationes, atque conſolationes Angelorum, nec dubium quin habeant teſtimonium certum de propria ſalute. Verba autem præſentis loci, ut & Pſ. ſexti, ſ quæ in eodem Officio recitantur, *Anima mea turbata eſt valde*, aut intelliguntur ſecundùm relationem ad tempus, quo animæ nondum de corpore migraverunt: aut etiam non eſt neceſſe intelligi de illis, ſed Pſ. 114. recitari ob alia verba, *Placebo Domino in regione vivorum*, quemadmo-C dum & ſextum propter illa. *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum*. * Quamvis turbatio, dolor, cruciatus bene conſiſtat cum certitudine de ſua ſalute: ſiquidem & anima Chriſti *turbata eſt, triſtis facta, & mœſta*. t De Gerſone, & Roffenſe dici poſſet, quamvis eorum ſententia ſit falſa, tamen illos tantum docuiſſe quid ſentirent de natura, & reatu peccati venialis ſecundùm ſe: non negaſſe à Deo revelatum animabus juſtorum, etiamſi habeant venialia peccata, eas aliquando ſalutem eſſe conſecuturas. Roffenſis, u quidem contendit de hoc eſſe certas: ſic poſſet ſecum cohærere in eo, quod in priore loco tradidit, quamvis ſit, ut dixi, falſum. Lege de noſtris Bellarminum, x & Valentiam. y

i verſ. 5. k Rom 7.24. l 2.Cor.11.29 m de obitu Theodoſ. Senſus Tropologicus. n art. 38. Refutantur exiſtimantes animas in Purgatorio non eſſe de ſua ſalute ſecuras. o de quatuor noviſſimis. artic. 47. p 2. de merit. oper. cap. 8. q elect. 1. de vita ſpirit. r contr. art. 32. Lutheri. ſ verſ. 4. * Joa. 12.27. t Mat. 26.38 u contr. art. 38. x 2. de purg. cap. 4. & 5. y to. 4. diſp. 11. qu. 3. puncto 3.

Et pericula inferni invenerunt me,) Hieron. *munitiones inferni*. Alii, *obſidiones*, aut *anguſtiæ inferni*, vel *ſepulchri*. Sunt מצרים *metſrahim* hæc omnia; & שאול *ſceol*, tùm *infernus*, tùm *ſepulchrum*. Sed ᾅδης *infernus* dumtaxat, ut ſæpe monui. In Pſ. 17. z habetur, *dolores inferni circumdederunt me*. Quod hæc pericula, anguſtiæ, munitiones, obſidiones invenerint Davidem, ſignificat fuiſ-D ſe incluſum obſidione, vallatumque, & quum ſe receptiſſet, ſecuritatis cauſſa, ibi detentum. Invenit autem hujuſmodi res, ut paullo poſt dicitur, qui in eas incurrit, & in hoſtes; ſive illos quærat, & adoriatur, ſive incautus in eos incidat. Ut non ſit neceſſarium diſcrimen à nonnullis hic aſſignatum inter pericula, quæ te inveniant, & quæ tu invenias. Myſticè *pericula inferni* tentationes ſunt in arcta, quam Chriſtus a vocat, via, & anguſta, à qua qui exorbitat ruit præceps in barathrum inferni: nominatim, ut prius dixi, conveniunt avaritiæ. Sed in genere loquendo de tentatione quavis, & perſecutione, ac tribulatione, illud Baſil. Ambroſ. aliique agnoſcere diſcrimen videntur, quod attigi, ut hæ dicantur virum fortem inveniſse, qui conſtanter tulerit, ac reſtiterit: idem eaſdem inveniſſe, qui magno animo ſeſe etiam velut in diſcrimen ultro, ſponteque objecerit, non ſua confiſus virtute; ſed quia, ut mox ſubditur, *nomen Domini invocaverit*. Qui ex ignorantia peccat, vel infirmitate, cenſeri poteſt ab inferni periculis inventus, & quaſi *præoccupatus*: b inveniſse autem illa, ſive tribulationem, & dolorem, qui ex malitia, & ex animi quadam deliberatione. Ipſa peccati malitia, & pœnæ malum, præſertim inferni, ac æternæ, invenit ſemper

z verſ. 6. Expoſitio myſtica. a Mat. 7.14. b Gal. 6.1.

per peccatorem, non is illam invenit, ſi invenire tantum dicatur, qui quærit; quoniam nemo iſta quærit, nec ad malum reſpiciens operatur, ſed ſub aliqua ſemper boni ratione. Hoc advertit Ayguanus; verum poſita illa differentia inter illum, quem quid invenit: & qui quidpiam ipſe invenit; quam dixi perpetuam, & neceſſariam non eſſe. Ejuſdem generis, quod Auguſt. obſervat, & alii, quod aberrantem à Deo hæc inveniunt *pericula inferni, doloreſque mortis*, non inveniat autem is, qui gaudet proſperis ſæculi. Adhæc eodem pacto inveniri dicimur *à periculis inferni, doloribuſque mortis*, ideſt, ut ait Martinus Alphonſus à pœnalibus defectibus, qui nobis ex primorum parentum peccato jure hæreditario cum morte provenerunt: præterea, à fomite, propenſione ad malum, difficultates ad bonum. Hæc nos invitos inveniunt, & repugnantes, & captivant in lege peccati, ut *quod volumus bonum, non faciamus; ſed quod nolumus malum, hoc agamus* habitantes infeliciter *in corpore mortis hujus*. a Tribulatio, & anguſtia, quam invenimus, ſunt ſupervenientia peccata propria, & actualia, quæ quia ſunt cauſſa tribulationis & doloris, non ipſa nos, ſed nos illa quæſi-B ta inveniſſe cenſemur, voluntariè perpetrando. Audi tandem cohortationem putati Hieronymi, (O nos infelices, & miſeros, & lugendos, quia ſemper nos peccatum quærit. Si autem ſemper nos quærunt peccata, erga nos feſtinemus, ut nos non inveniant.)

Nemo in malum, ut malum intendens, operatur. a Rom. 7.19. 24.

Tribulationem, & dolorem inveni.) Hieron. *anguſtiam, & dolorem reperi*: Alii, *tribulationem, & mœrorem* vel *afflictionem, & anxietatem inveniam*, aut *inveneram*. Eſt enim futuri temporis אמצא *emtſa*, quod iſtis verti modis poteſt: *invenire* autem *tribulationem, & dolorem* idem eſt, ac *in illas* incidere. Unde alibi, b *Tribulatio, & anguſtia invenerunt me*: c *& Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*. Sic verum eſt, quod prius docui nihil nonnumquam intereſſe, litteraliter loquendo, inter *invenire, & inveniri*. Sed retenta diſtinctione, myſtici exiſtunt ſenſus priore membro inſinuati. Prout *invenire* terminum importat inquiſitionis, pericula inferni nos inveniunt: ſi terminum cognitionis, nos tribulationem, & dolorem, dictaque pericula invenimus. Volens *invenit tribulationem, & dolorem*, ait Ambroſius, d (qui unus C eſt ex dictis ſenſibus) *ſciens quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem*: e quaſi bonus athleta quæſivit certamina, ut coronam inveniret. Baſilius vero id confirmat Pauli verbis, f *in omnibus* (quæ prius enumeraverat) *ſuperamus propter eum qui dilexit nos*: & vim facit in Græco ὑπερνικῶμεν, *ſuper vincimus*. Vincit enim is, qui neceſſitate quopiam illatis non cedit, aut frangitur: aut ſupervincit, qui vel ſua ſponte ad ſe quoque accerſit dolores præmoleſtos, & acres, quo ſuæ edat ſpecimen patientiæ. Præterea idem Pater explicat de pœnitente, qui tribulationem, & dolorem inveniat per pœnitentiam, quia geſtabatur jam à morte in utero, & inferno erat obnoxius, qui etiam ſibi ex pœnitentiæ fonte afflictionem prodeuntem excogitet, quæ magnitudini reſpondeat per eum admiſſi peccati, ut majore cum fiducia *nomen Domini invocet*, dicatque quod hìc deinde ſequitur. Auguſt. cum aliis, declarat per divinum lumen cognitam, ac deprehenſam fuiſſe utilitatem tribulationis, & doloris, quodque dat Deus *auxilium de tribulatione*, g *& beati ſunt lugentes*, h & quod in proſperitatibus ipſis ſæculi tribulatio, ac dolor eſt, propter abuſum, præſtetque his ſe ſponte abdicare, nec expectare ut prius amittantur, & poſtea lugeantur. Idem explanans ex Pſ. 49. i illa verba, *invoca me in die tribulationis*, &c. pluribus amplificat eamdem ſententiam; dicitque quod qui ob torpuerat à fervore orationis, invenit tribulationem tamquam aliquid utile, ac velut uſtionem, & ſectionem adverſus tabem, atque putredinem peccatorum. Adjicit quod qui inter ipſamet ſolatia peregrinationis, & in ipſa felicitate, affluentiaque rerum temporalium, non invenit eſſe tribulationem, nondum cum Deo eſt, & quod qui inter tentationes, moleſtiaſque verſari, ac ſine timore eſſe nos non poſſe non reputat, ad patriam redire non cogitat. Item in Pſ. 83, ſcribit *invenire tribulationem, & dolorem* acutiſſimo oculo, qui intelligunt in qualibet circumfluentia copiarum, & voluptatum, quamvis ad nutum cuncta deſerviant; nihil adverſum terreat, tamen in malo ſe eſſe, quamdiu peregrinantur à Domino. Is quem vocant Hieron. novam hìc rem dici notat, quum ait Propheta *inveniſſe ſe tribulationem, & dolorem*, & non quod invenerit requiem, vel ſaturitatem, aut quod ip-A ſum invenerit tribulatio, & anguſtia quaſi quærens eas res invenerit, quia non invenitur, niſi quod quæritur. Reſpondet quod ſanctus non quærit requiem, quia novit quod *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit*. k De tribulationis utilitate hic eſſet ſatis commodus dicendi locus, ubi hanc invenire ſignificatur bonum eſſe. Eadem opera quæri poſſet quo pacto quis & optare eam poſſit; & ſimul precari Deum, *ne inducat in tentationem; ſed liberet à malo*; l De his actum aliàs.

b Pſ. 118.143 c Pſ. 45.2. d de obitu Theod. e Rom. 5.3.4 f Rom. 8.37. Inter vincere & ſupervincere diſcrimen. g Pſal. 59.13 h Matt. 5.5. i verſ. 15. k Rom. 5.3.4 l Matt. 6.13

Verſ. 4.) Et nomen Domini invocavi,
O Domine libera animam meam.

Senſus loci. CIrcumdatus doloribus mortis, & inventus à periculis inferni, quique tribulationem, & dolorem invenit, hoc ſe feciſſe ait quod facere ſemper velle dixerat, ut *invocaret nomen Domini* hac formula. *O Domine libera animam meam*, nimirum de omnibus modo dictis B malis. Hæc oratio convenit cuivis neceſſitatem patienti, & aliquoties inculcavit eam locis aliis m David. Habet maxime locum in bono athleta, qui ut Ambroſius n ſcribit, coronam non ſuis viribus, ſed Domino auxilio novit ſibi donandam: & dum congreditur miſer ut vincat, ruiturum in periculum, niſi Domini nomen adfuerit, niſi quum veretur, oraverit, & gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum imploraverit, quæ *liberat infelicem de corpore mortis hujus* perpetuò compugnãtes inter ſe *legem mentis, carniſque ſentientem*. o Ad Chriſtum deprecantem ne moreretur applicatur hæc oratio, ſicut illa; *Erue*, p *à framea Deus, animam meam*; q *& non derelinquas animam meam in inferno*; *in* r *manus tuas commendo ſpiritum meum*.

m Pſ. 68.19 Pſ. 119 2 Pſ. 6.5. Pſal. 16. 13. Pſ. 21.21. Pſ. 63.2. n de obitu Theod. o Rom. 7.24 p Pſa. 21.21. q Pſ. 15.10. r Luc. 23.46.

Et nomen Domini invocavi.) Hieron. *invocabo*, quod Hebraicè futuri temporis אקרא *ekra*. *Nomen Domini invocare, & Dominum*, idem eſt: quid autem ſit *invocare nomen Domini, & Dominum*, alibi diximus. Juxta Hebraiſmum etiam futurum pro præterito ponitur: particula autem ו *ve*, & adverſativè, nempe pro *at, atqui*, C &c. Idcirco ſumitur hinc apud Hebræos, & in diſtinctione noſtra Biblica, initium novi verſus.

O Domine.) Hieron. *obſecro Domine*. Alii, *quæſo, oro*, &c. quæ omnia pro adverbiis ponuntur, cujuſmodi eſt אנא *anna* particula hortantis. Sic in Pſ. 117. ſ *O Domine ſalvum me fac, ò Domine*, &c. ubi bis repetitur eadem particula.

ſ verſ. 21.

Libera animam meam.) Meminit Chryſoſtomus aliarum tranſlationum ὦ δὴ κύριε περίσωσον τὴν ψυχήν μου *hem Domine circumſalva animam meam*: & ἀξιῶ κύριε ἐξελοῦ τὴν ψυχήν μου *quæſo Domine eripe animam meam*. Apollinarius θυμὸν πτοηθέντα interpretatur *animum perterritum*: & ut Deus αἶψα *citò liberet*. Hoc indicat, particula exclamantis. *Et anima* vitam ſignificat, videlicet in periculum mortis adductam. De ſalute ſpirituali animæ Chryſoſtomus accipiens, commendat illius præ cunctis aliis rebus ſtudium, exemplo ſerpentis, qui corpus diſcrimini pro capite objicit.

D *Verſ.* 5.) Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.

Senſus loci. HÆC rationes, quæ ſpem ingenerant, & fiduciam orandi, ac impetrandi dant. Nam ſciebat Deum eſſe miſericordem, & compatientem patienti miſeriam; juſtum, ut non ſinat fieri injuriam; peculiari ratione à ſe & popularibus ſuis cultum, viciſſimque propterea ſingulari erga illum amore affectum; poſtremo qui reipſa, factoque, & effectu miſericordiam exerceat, non ſolo affectu, & voluntate ſit miſericors. Chryſoſt. & auctor ſcholiorum ſub nomine Baſilii, abbreviator Chryſoſt. vult moderationem præſcribi inter deſperationem, quia Deus miſericors eſt, & nimiam ſecuritatem, quia juſtus: oſtendi demum quod ſit propenſior ad miſericordiam, quum adjicit iterum, *& Deus noſter miſeretur*. Idem ferè notaverat prior Baſilius verus in homilia, & miſericordiam Dei erga humanum genus eſſe, quod ex tanta dignitate in adeo magnam ſit dejectum vilitatem per peccatum; idq; ſibi voluiſſe, quum quæreret, t *Adam ubi es*? ideſt, recogita qualis ex quali factus ſis? & in quam incideris ex tanta ſublimitate ruinam. Attendit & Ambr. u bis hìc *miſericordiam* poſi-

t Geneſ. 3.9. u de obitu Theod.

poſitam; ſemel *juſtitiam*; in medio juſtitiam gemino ſepto incluſam miſericordiæ. Quam ipſam Ambroſii ſententiam alio prius loco retulimus, eadem hac de re diſſerentes. Perſtringitur idem à Theodoreto bis de *miſericordia* mentionem fieri, ſemel de *juſtitia*, quia vincit Dei benignitas juſtitiæ, ſententiam. Hieron. nomine quiſquis ille eſt; notat præterea tempore præſenti dici, quod Deus miſeretur, ut ſemper miſericors oſtendatur. Jacobi *a* confirmat verbis Ambroſius; *miſericordia ſuper exaltat judicium* κατακαυχᾶται *ſupragloriatur ſupra illud, gloriatur adverſus illud, exultat contra illud, non reformidat*, ſed *potius inſultat ſe*, nempe *exaltando, & gloriando ſupra illud, ſi cum judicio contendat, victrix erit miſericordia, eminebit, & attollet caput*, utpote *ſuper omnia opera Domini b* Auguſt. *miſericordem* conſiderat Deum, quia inclinat autem invocanti, vocando ut invocet: *juſtum*, quia flagellat; iterum *miſericordem*, quia *flagellatum recipit*. *c* Cingit hinc inde miſericordia juſtitiam, ut mitiget, velutique caſtiget rigorem ipſius, quemadmodum medium Martis eſt in cœlo ſignum inter benigniores Jovis, ac Veneris planetas. Rurſum idem Auguſt. *d* colligit hinc, ſicut Deus ſervat miſericordiam in juſtitia, ita & juſtitiam in miſericordia: opus enim eſſe miſericordiæ peccanti peccata dimittere, ſed oportere ut juſtus miſereatur juſtè, conſiderans ſi dignus eſt non dico juſtitia, ſed & miſericordia, quia juſtitia ſola damnat &c.

a ap. 2. 13.
b Pſal. 144. 9
c Hebr. 12. 6.
Miſericordia Dei juſtitiæ ejus non deroga nec contra.
d de vera, & falſa penit. c. 10. & refertur 6. quem penit. d. 1. & a Magiſtr. 4. d. 17. ... D

Miſericors Dominus.) Hieron. *clemens*. Eſt חנון *channun*, quaſi dicas *gratificum, propenſumque ad benefaciendum gratis*. Unde præco gratiæ Zachariæ filius יוחנן *Joannes*: & initio Pſalmi nomen *orationis* pro gratia, & miſericordia impetranda תחנון *thachanun*.

Et juſtus.) Hoc nomen quandoque ſumitur tamquam ſynonymum miſericordi, ſicut & nomen *juſtitia*, ut ſignificans miſericordiam. Sic ter cum exaggeratione pronuntiaretur hoc loco de Deo miſericordia. Apollinarius ὅσιον interpretatur, ideſt, *ſanctum*.

Et Deus noſter miſeretur.) In Romano Pſalter. & apud Caſſiodorum, *miſerebitur*. Exprimitur ipſe actus miſerendi, & quidem in tempore præſenti, ut ſemper miſericors oſtendatur; quod putatum Hieronymum hìc obſervare dixi. Apollinarius exponit quaſi denotetur quod magis, magiſque Deus miſereatur nec quomodocumque ſit miſericors.

ἀνδρομένῃ γενεῇ σφετέρην ἔλεον αὔξων,
Humano generi ſuam miſericordiam augens.

Vis etiam ineſt in pronomine, *noſter*, & in nomine אלהים *elohim* ſignificante Deum ut creatorem, & præterea ut judicem, ac vindicem omnium, qui miſeris, oppreſſiſque opem ferre ſoleat. Ac pronomine quidem Græci volunt inſinuari diſtinctionem à diis Gentium, qui ſunt exitioſi, eorumque ſunt partes occidere, de medio tollere, bella implacabilia gerere: per ultimum verbum, quod ſit Deus propenſior ad miſericordiam, licèt ſimul juſtus. Hugo explicat de Chriſto, qui petens liberari animam à morte poſtea ab inferno, veluti converſo ſermone ad Matrem, vel alios adſtantes, quum eſſet in Cruce, diceret; non dubitetis quin me Pater ſit liberaturus, quia miſericors eſt, miſeriam, & dolorem meum reſpecturus; & juſtus, ideoque ſine meritis mortem, ac ignominiam paſſum ſuſcitaturus ad requiem, & gloriam: *& Deus noſter miſeretur*, ut ſim hac de re omnino certus. Nonnihil obſtat, quod notari ſolet non ſolere Chriſtum appellare Patrem, vel Deum, cum pronomine plurali primæ perſonæ, ſed *Deum meum, & Deum veſtrum, Patrem meum, & Patrem veſtrum*. *e* Tamen qui exactè percipit loquendi modos, ſic loquentem inducere poteſt, & animo concipere diverſa ratione conducere poteſt, & animo concipere diverſa ratione convenire nobis, ut *noſter* dicatur *Deus, Paterque, & Chriſti*. Idem Hugo incipiens ab illis verbis, ô *Domine*, &c. ſubtiliter notat in illis innui confeſſionem ſervitutis, quam non poteſt dicere, *ſerviens mammonæ*: *f* in verbo *libera*, confeſſionem infirmitatis, & captivitatis. Quum additur, *animam meam*, confeſſionem immortalitatis animæ vocari *Deum miſericordem* in creando contra Manichæos, qui Deo malo tribuunt creationem: *Dominum* in gubernando, & præcepta dando: *juſtum*, in puniendo, contra Origeniſtas, qui volunt etiam dæmones ſalvandos: *Deum noſtrum*; in incarnatione, contra Arianos, qui ſcilicet negant Chriſtum eſſe Deum: addi demum quod *miſeretur* contra catharos, & alios; qui veniam negant ſaltem nonnullis peccatis.

e Joan. 20. 17
Hugonis notatio ſubtilis.
f Mat. 6. 24.

A *Verſ. 6.*) Cuſtodiens parvulos Dominus: humiliatus ſum, & liberavit me,

Senſus loci.

MIſeretur quidem Dominus omnibus, ſed præcipue illis, qui ſunt in oculis propriis parvuli, & ſegerunt ante Deum paternè miſerentem, quod prioris verſus membro ultimo ſonat מרחם *merachem* à viſceribus ducto verbo, tamquam parvuli, & filioli, pendentes toti ab ipſo, ad eum confugientes, ipſum verentes, ſimplicitatem parvulorum imitantes, non in ſua prudentia, viribuſque, ſed in ipſo ſolo fidentes, agnoſcentes vilem, abjectamque conditionem ſuam; calamitates, & miſerias proprias. Tales Deus liberat, *humilibuſque dat gratiam*, *g* ut à contrario, *comprehendit ſapientes in aſtutia ſua*, *h ſuperbiſque reſiſtit*, *i* & inſultans iis qui confidunt in aliis, ait, *k*, *ſurgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. Secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe: & ſicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum*: *l* quaſi videlicet egreſſos de viſceribus B ipſius. Ex hoc numero David eſſe ſtudens, & eſſe ſe confidens & quod attinet ad ærumnas, eas experiens, aſſerit, quod ſeipſum prius humiliatus flagellis à Deo, humiliaverit, ſicut parvulus, & continuo ſpem certam liberationis conceperit, & quod quum vexationem, tribulationem, calamitatem agnoviſſet, ac Deo nihil ignoranti humiliter expoſuiſſet, illico affuturum divinum auxilium non dubitaverit. Hoc attribuit Chriſto Hugo poſt humiliationem propriam, liberato, & exaltato.

g 1. Petr. 5. 5
h 1. Cor. 3. 19
i 1. Pet. 5. 5.
k Deut. 32. 35.
l Pſal. 102. 11. 13. 14.

Cuſtodiens parvulos Dominus.) Hieron. *cuſtodit* ſunt τὰ νήπια *infantes*, nec εἰπεῖν *loqui* valentes: פתאים *pethaim ſimplices*, quibus facile imponas, & perſuadeas. Fere in malum capitur hæc vox, unde *fatui* Latinum nomen derivatum videri poſſit. Aliquando tamen etiam in bonum, ut quum opponuntur callidis, aſtutis, ſapientibus; cui nomen ſimile Gallicum, *petit*. Vide dicta Pſ. 18. *m ſapientiam præſtans parvulis*. Sapientia invitat, ut *ſi quis eſt parvulus, veniat ad eam*, *n* & Chriſtus qui eſt ſapientia Patris; & prædixerat per Zachariam *o* quod *converteret manum ſuam ad parvulos*, *ſinite p* inquit, *parvulos venire ad* C *me*, quos quaſi ut cuſtodiret, *offerebant ei, & ut imponeret illis manus, & oraret*, quod & fecit, atque complexatus eos eſt, ſeu *in ulnas accepit* ἐναγκαλισάμενος, ac ſi redderet officium, quod è Simeone infans acceperat, *q* poſtremo comminatus, & indignatus diſcipulis, qui prohibebant, eoſdem illos benedixit. *r* Proculdubio magis indignatur Chriſtus Anabaptiſtis hæreticis, prohibentibus parvulos accedere ad ipſum, per baptiſmum: & parum piis parentibus, pia parvulorum ſtudia impedientibus, & non valde Chriſtianis, puerorum Chriſtianorum inſtitutionem improbantibus. Demonſtrat Clemens Alexandrinus in opere quod inſcripſit *Pedagogum*, pedagogum eſſe Chriſtum, omneſq; Chriſtianos eſſe pueros. Sed ætate etiam parvulos recipiendos, docendos, cuſtodiendos pius, doctuſque Joannes Gerſon & reipſa, & apologia declaravit, quem appellavit. *Tractatum de parvulis trahendis ad Chriſtum*. In ejus operis conſideratione prima extrema non dubitat aſſerere nullum Eccleſiæ magis adverſari, & præparare omnia Antichriſto in demolitionem ejus, quam qui facto, aut verbis, clam, vel palam D obviam voci Chriſti dicentis; *ſinite parvulos venire ad me*. Legatur Auguſt. Sermo 36. de verbis Domini. *Quia parvuli communicaverunt carni, & ſanguini*, *ſ* Parvulus fieri Dei filius voluit; *t* & ut Eliſæus, *u* qui *Dei ſalutem*, aut *Deum ſalvantem* ſonat, membris infantilibus coaptari. Deus præterea legitur natu minores grandioribus prætuliſſe, Abelem, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Beniamin, Moyſen, Davidem, & in novo teſtamento Petrum, & Joannem *Intellectum dat parvulis*, *x & ſapientiam præſtat*, *y revelat myſteria iiſdem*, *z doctor eſt parvulorum*: *a qui ſuſcipiat parvulum perinde ac ſi ſe ipſum ſuſciperet*, æſtimat, *b* Ad hæc ſumendo parvulos ætate, atque corpore, ſingularem Deus de his curam habet, quo ipſi minus tueri ſeipſos, præ corporis imbecillitate, ac rationis, valent. Chryſoſt. id obſervat, & quod exempli cauſſa, ſerpens peremiſſet infantem involutum faſciis, & avis quæ degit in ædibus, & multa alia quæ repunt, ac ſerpunt in domibus: neque enim in nutricem, vel matrem, vel ullum alium ſufficere ad eorum perfectam gerendam providentiã, niſi ſuperno juventur auxilio. Ait præterea nonnullis videri hoc dictum de fœtibus nondum in lucem editis. Ita ſentit Baſilius in homilia, Chryſ. vero qui ejuſdem Baſil. gerit nomẽ in

m verſ. 8.
n Pſal. 9. 4.
o cap. 13. 7.
p Matt. 19. 14.
q Luca 2. 28
r Matt. 19. 13. 14. 15. Marc. 10. 13. 14. 15. 16. Luc. 18. 15. 16. 17.
ſ Hebr. 2. 14.
t Eſa. 9. 6.
u 4. Reg. 4.
x Pſalm. 118. 130.
y Pſal. 18. 8.
z Matt. 11.
a Eſa. 53. 18
b Matt. 18. 5
De parvulis etiam ætate Deus ſingularem curam gerit.

in ſcholiis tranſcripſit. De his eſt illud; *non a eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto*, &c. *imperfectum meum*, (embryonem,) *viderunt oculi tui*. Multos ethnici confinxerunt Deos præfectos conceptionibus, & nativitatibus, &c. Theodoretus idem tradit, & præterea Dei curam vocat, & de periculis à dæmonibus meminit. Monet etiam velle Prophetam nos intelligere, quod Deus non modo juſtorum fructus remunerat, ſed etiam prævenit, fabricando eos, qui non ſunt, quum effinxerit curam gerendo, poſt perfectam ætatem, fructus juſtitiæ operiendo, viros probos plurimis beneficiis afficiendo. Trito ſermone circumfertur, pueris, ſtultis, fœminis Deum opitulari Sacræ quidem litteræ faciunt *patrem orphanorum* b, & *adjutorem* c, ſicut *judicem viduarum* d. In funere Theodoſii Ambroſius parvulos ab eo filios relictos commendans Deo, ait. (Sed tamen tu ſolus Deus, Domine, invocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis repræſentes. Tu Domine cuſtodiens etiam parvulos in hac humilitate, ſalvos facito ſperantes in te.) Non minora lubricæ pericula ætatis in animo, quam in corpore, multoque neceſſaria magis Dei cuſtodia pro anima, quæ pluris refert quam pro corpore. Nec meliore autem potuit hæc res vocabulo, quam *cuſtodis* exprimi. Major natu Cain, ubi minor frater Abel eſſet interrogatus à Deo, *numquid cuſtos fratris mei ſum* e? reſpondit השמר *haſſciomer*.

a Pſal. 138. 15.
Pueris, ſtultis fœminis opitulatur Deus.
b Pſal. 67. 6.
c Pſal. 9. 34.
d Pſal. 67. 7.
e Geneſ. 4. 9.

Humiliatus ſum, & liberavit me.) Hieron. *attenuatus ſum, & me ſalvavit*, ideſt, redactus ad inopiam, & omni ope deſtitutus. Ambroſius *f & ſalvum me fecit*. Poſſet quidem Latinum verbum, & Græcum ἐταπεινώθην de humilitatis intelligi virtute, de qua etiam multi interpretantur, ut qui dicitur Hieron. Arnobius, Auguſt. alii Latini, & ex Græcis in homilia Baſilius, prætereaque Ambroſius *g*. Ipſe ergo, ait iſte, *cuſtodit parvulos* aut certè eos qui ſe parvulos humili confitentur affectu. Bona igitur humilitas, quæ liberat periclitantes, jacentes erigit. Probat exemplo noſtri Davidis, qui ſui confeſſione peccati avertebat à populo flagellum Dei *h*, & ſeſe humiliando ante Jonatham, depulit mortis ſibi comminatæ, ac intentatæ à Saule periculum *i*, & coram Propheta in cauſa Bethſabee, veniam impetravit *k*: Profert exemplum Chriſti etiam *l*, & ſui, de quo ſcribit Theodoſii. Sed Hebr. verbum דלתי *dallothi* ſignificat *attenuationem, vexationem, afflictionem, dejectionem*: ſicut Pſ. ſequenti *m*, *humiliatus ſum nimis*: quamvis ibi ſit aliud verbum Hebr. Symmach. Theodoret. refert hoc loco legiſſe ἠπόρησα *langui, defeci, invalidus evaſi, laſſatus ſum, nervis laxatus ſum, obtorquit*. Apollinarius exponit καταδμηθέντα *edomitum*, videlicet malis, & ærumnis. Ceteri Græci, etiam quem citavi, Baſilius, hunc potius ſectantur ſenſum. Alius Gregorio *n* adhuc placuit, ſic ſcribenti. (Qui Pſalmiſta, quia parvulos humiles appellat, (nempe membro præcedente,) poſtquam ſententiam protulit, (contentam eodem membro) conſilium ſubjungit. Nam quaſi quæremus quid ipſe ad hæc faceret, adjunxit; *humiliatus, & liberavit me.*) Quærit Athanaſius *o*, aliuſve ſub hoc nomine, quo pacto conſequi ſalutem poſſit, qui conſenuit in peccatis, nec valet jejunare, humi cubare, vigilare, aut aliam aliquam ἄσκησιν ποιῆσαι *exercitationem facere* cui præterea non ſuppetunt pecuniæ ad eleemoſynas, nec poteſt τῷ βίῳ ἀποτάξασθαι *vitæ renunciare*, (male vertit interpres *moderari*.) Reſpondet hoc loco præſcribi certam ſalutis adipiſcendæ viam, humilitatem. Affert in exemplum publicanum *p*: & inter alias huic ſimiles ſententias, quod beati dicantur πρὸ πάντων *præ omnibus* οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι *pauperes ſpiritu*, hoc eſt, humiles. Ingemiſcenti Antonio tenſos ubique laqueos mortalibus, & quis demum evadere illos poſſet, reſponſum divinitus humilem.

f in Pſ. 118. Octon. 14.
g de obitu Theodoſ. & in Pſal. 118. Octon. 14.
h 2. Reg. 24. 10.
i 1. Reg. 18. & 19.
k 2. Reg. 12. 12.
l Phil. 2. 7. 8.
m verſ. 10.
n hom. 28. in Evang.
o quaſt. 91.
Salutis adipiſcendi via humili[tas].
p Luc. 18. 13.

Verſ. 7.) Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Senſus loci.

IN ſpe, ac fiducia in Deum fixè, ſolidèque in Deo conſtabilitus, certuſque impetraturum ſe quod proxima oratione flagitaverat à Deo miſericorde, juſto, miſereri ſolito, nempe liberationem animæ, evaſionemque mortis, animam ipſam ſuam, converſo ad eam ſermone, convenit, jubens omnes demum curas anxias, & ſollicitudines moleſtas abjicere, non amplius agitari mente, atque veluti diſcurſare; ſed reſidere, conquieſcere, pacatam, & tranquillam eſſe, quoniam hujuſmodi indubiæ ſpei, fiduciæque cauſſam dederit de Dei erga ſe benevolentia, ac beneficentia captum non ſemel in ſimili rerum A articulo experimentum, & percepta in hujuſmodi ſtatu jucundiſſima animi pax, quies, tranquillitas. Nec mihi vero videtur improbabilis expoſitio Peregrini Heri, atque Agellii, quam Trevetus quoque inſinuat, hortari ſe Davidem in exilio, quo fugiebat perſequentem, aut Saulum, aut Abſalonem, ad reditum in patriam, & ad regnum vel promiſſum à Deo, vel jam ſemel obtentum; tùm vero ad reviſendam arcam, locumque ipſi aſſignatum, juxta illud, *q*, *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ*. Nam ſæpius vidimus in aliis Pſ. vehementi hoc deſiderio flagraſſe tùm Davidem, tùm populum, ſi quando contingeret inde exulare Euthymius præter primum dicendi modum, refert alium anagogicum de diſceſſu animæ juſti ab hac vita, per quem liberatur ab onere corporis, omnibuſque malis, & repletur omnibus bonis in *regione vivorum*, ut eſt in fine Pſ. Atqui hic ſenſus paſſim traditur à Græcis, & Latinis Enarratoribus, etſi nonnulli etiam explicent de requie, quatenus haberi poteſt à juſto in hac vita, & ad illam Chriſtus invitat, pollicens his, qui *laborant, & onerati ſunt, ſi venientes ad ipſum tulerint jugum ipſius ſuave ſuper ſe, & onus* B *leve, & ab illo didicerint, quia mitis eſt, & humilis corde* r. Hugo item declarat allegoricè de Chriſto poſt reſurrectionem: & anagogicè, prout Euthym. dicebat. In eodem ſenſu anagogico Ambroſius *ſ* accipit hunc locum, applicans Theodoſio Imperatori mortuo, qui ſic animæ ſuæ loquatur, quaſi diuturno cujuſque operis ſudore exercitæ, ſicut convertitur equus ad ſtabulum, ubi curſum impleverit; navis ad portum, ubi ad ſtationem fidam à fluctuum mole ſubducitur: & dicere requiem ſuam, quia recepit tamquam poſſeſſionem hæreditariam, promiſſum, ac paratum ſibi regnum *t*: quam requiem Deus negat indignis cum juramento *u*: illuc Prophetam *aſſumtis pennis volare* geſtaviſſe, *ut requieſceret* x: hanc eſſe requiem Sabbati magni, in qua unuſquiſque Sanctorum ſupra mundi ſenſibilia ſit in illo intelligibili ſecreto totus intentus, atque adhærens Deo: denique percipi in Jeruſalem illam, in quam *Reges terræ ferent gloriam ſuam* y: illuc dici animam converti, & reverti, ubi regio vivorum eſt; quia ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facta eſt, & inde deC ſcendit, (alludit ad Eccleſiaſtem z) ubi impletur votum diligentis. Precatur item à Deo hanc requiem Theodoſio, & quem ipſe dilexerit, proſequi ſe votis ait eo uſq; Idem adhuc Doctor diſputans de bono mortis *a*, præſentem, & ſequentes verſus ad eumdem trahit ſenſum. Ambroſ. forſitan tempore jam pro defunctis recitabatur *Requiem æternam dona eis Domine*, &c. Extat quidem in Antiphonario Gregorii in agenda mortuorum: & ibidem pro iiſdem verbis cum ſequenti verſu: in eo autem Officio, quo utimur, Antiphonæ loco ad Pſ. iſtum, qui Veſperarum primus eſt; ponitur ultimus verſus. Ante Ambroſium Zeno Veronenſis *b* de reſurrectione, atque beatitudine uſurpat hunc locum totum. Chryſoſt. *c* præterea hortans ad non immodice plorandum defunctos noſtros, hinc argumentatur, quia mors reditus eſt ad requiem, & beneficium cenſetur, prout ſonant iſta verba *Quia Dominus benefecit tibi*. Idem *d* urget canentes in funere ſuorum hunc verſum, & ſine modo tamen lugentes, vocans ſcenam, hypocriſim, ludum, finctionem, fabulam iſta pſallere, & luctui nimio indulgere. Hoc idem beneficium, D perpendens præſentem locum, Bernard. *e* exaggerat, appellans verba perfectæ charitatis, & fœlicitatis immenſæ, vocem gratiarum actionis, & lætitiæ, ſuaviſſimum animæ ſtatum, ſuaviſſimam, & ſaluberrimam requiem. Ait etiam *f*, ab hoc bono ſi quis avertere ſãctam animam, ideſt, à ſpirituali ſtudio, conaretur, haud ſecus acceptuſram, quam ſi ſe de Paradiſo, & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari; propterea ſibimet loqui, *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Diſtinguens *g* præterea conſcientiam bonam, & non tranquillam, tranquillam, & non bonam, nec tranquillam nec bonam, & bonam & tranquillam, bonam, tranquillam, ac ſimul ſecuram; de hac ultima hìc agi docet, quoniam eripiendo de morte, dat Deus bonam: à lacrymis, tranquillam, à lapſu, ſecuram. Ephrem *h* eadem et ſententia hortatur ad reſipiſcendum, & redeundum ad Dominum, adeo de nobis benemeritum. Videlicet quoniam ut quæ ſunt ſequenti verſu docent, animam ſecundùm ſe immortalem, à morte peccati eripuit: pedes affectuum à multiplici levium peccatorum lapſu, oculos à lacrymis, non hìc quidem; ſed quum nullus erit pedum ambulantium, quia nullum infirmæ carnis lubricum, ut loquitur Auguſtin. Theo-

q Pſal. 131. 8
r Matth. 11.
ſ de obitu Theodoſii.
t Matt. 25. 34.
u Pſ. 94. 11.
x Pſal. 54. 7.
y Apo. 21. 24
z cap. 12. 5.
a c. 9. & ult.
b ſer. de reſur. in fine.
c hom. 33. in Matt. & 59. ad pop.
Defuncti non immodicè plorãdi.
d hom. 4. in Ep. ad Hebr.
e ſerm. 2. de omnib. San.
f ſerm. 5. in Cant.
g ſerm. 1. ex ſexdecim parvis.
h tom. 2. paran. 38.

a ſerm. 126. item in 23.

Theodoretus, Studita *a* & ſuos Monachos, & ſeipſum A cohortabatur ad moriendum alacriter, ut hanc ſententiam impavidè, & imperteritè proferre ſub exitum licèret. Ceterum abutebatur Origenes iſto teſtimonio ad fulciendum errorem de origine animarum. Volebat ſimul creatas cum Angelis: deinde ſpiritualium bonorum, quibus in cœlo fruebantur, affectas faſtidio, amare cœpiſſe res terrenas, proptereaque nunc à Deo in corpora detrudi, tamquam in carcerem. Agit hìc gratias David, quod à magnis periculis liberatus, magna careret ſollicitudine; ac ſeipſum ſimul excitat ad repetendam internam animi pacem, atque tranquillitatem, quam ob frequentes moleſtias, timoreſque ferè perdiderat. Præter alios Auctores, quos citat Bellarminus *b* noſter, poſt Sixtum Senenſem *c* confutantes hac in parte Origenem, Hieron. * argumentatur, ſi in corpore vivere, condemnatio eſt, optandaque mors eſt, ut de carcere liberemur, non daturum pro beneficio Ezechiæ Deum fuiſſe, ut qui liberandus erat, adhuc *quindecim annis d* viveret in carcere. Adde quoque Nicetam Choniatam *e*, qui refert putaſſe animas noſtras fuiſſe aliquando ex ordinibus Angelorum: B ideo corpus δέμας vocatum παρὰ τὸ δεδέσθαι τὴν ψυχὴν ἐν αὐτῷ, quod *eo tamquam vinculo anima coerceatur*: & ψυχὴν, διὰ τὸ ἄνωθεν ἐκψυχῶσθαι, quia *deſurſum, ſive cœlitus inſpirata ſit*. Reſpondet autem loqui Davidem de animæ juſti peregrinatione, qua quidem triſtibus hujus mundi periculis libera ſubducitur, & corporis à ſe tabernaculum, tamquam onus grave excutit.

Origenis de origine animarum error.

b 4. de amiſſ. gra. & ſtatu pec.
c 5. biblioth. annot. 185.
d in Eſ. c. 38
* in Eſ. 38. 5.
e 4. Theſaur. hæreſi 31.

f hic, & in Eſa. cap. 38.

Convertere anima mea in requiem tuam.) Hieron. *f revertere*, quod ſignificat שׁוּבִי *ſciuvi*, ſeu *redi*. Chaldaicè, *in domum requiei tuæ*. Quæ translatio favet opinioni de reditu in patriam, in Jeruſalem, ad tabernaculum, & arcam: quibus etiam convenire nomen *regionis vivorum*, quod in fine Pſalmi ponitur, ibi dicemus. Reditus hic etiam alia indicat, de quibus antea dixi, ſaltem juxta myſticum ſenſum: tum vero hominem præcipue ſecundùm animam eſſe factum, ut ait Auguſt. *g* in confeſſionibus ad Deum, & ideò eſſe inquietum cor ejus, donec requieſcat in ipſo. Porro modus ille ſibimet ipſi, vel animæ ſuæ imperandi utilis eſt ut alacrius, faciliuſque operemur, nec tamen talis, ut ita dicam intimatio neceſſaria eſt, nec ut poſt electionem præcedat ante opus, actus intellectus, habens rationem imperii: quidquid contra ſentiant nonnulli; quod alibi expendimus. Locus hic amplificandi, quam nulla in re creata quieſcere animus noſter poſſit, & quod quum *in omnibus requiem quæſieris, in hæreditate Domini morandum ſit tibi* h, & nihil *tibi in cœlo eſſe* debeat, vel *à Deo*, ideſt, præter Deum, velle debeas *ſuper terram* i; ſed *intrando in domum tuam, conquieſcere cum illo* k; nec *invenire ubi requieſcat pes* affectus tui, *niſi in hac arca* l, ubi eſt Noe, ceſſationem, requiemque ſignificans. In Chriſto pacem habebis, *in mundo preſſuras* m, & *cor imperii, quaſi mare fervens quieſcere non poteſt* n.

g lib. 1. c. 1.

Modus ſibi imperandi utilis.

h Eccl. 24. 11
i Pſal. 72. 25
k Sap. 8. 16.
l Geneſ. 8. 9.
m Joa. 16. 23
n Eſa. 57. 20

Quia Dominus benefecit tibi.) Hieron. *reddidit*. Alii, *rependit*, vel *retribuit*, vel *præſtitit*, vel *perſolvit ſuper te*, vel *pro te*, nempe quod petiviſti, aut quod debebas. Vel *reddidit te tibi*, ideſt, quum prius ob admiſſa peccata non tam tua eſſes, quam dæmonis, & mundi, præterea carnis, & corporis, cui ſerviebas, cujuſque requiem quærebas, & procurabas, nunc demum reſipiſcens, ad te rediens, te ipſam tibimet reſtituens, vel potius à Deo reſtituta, oblecta te gaudio tuo, nimirum ſpirituali, quieſce intra te, quia *regnum Dei*, & *Rex Deus intra te eſt* o. Quod anima ipſa ſeipſam hortetur ad converſionem in dictam requiem ſuam, beneficii magni loco deputandum, nec ab alio eſſe, quam ab illo, inter cujus beneficia recenſuit David tamquam optime regentis, paſcentiſque, quod *animam ſuam convertiſſet* p, & pene exanimato animam reſtituiſſet. Denotat quoque phraſis Hebr. vitam æternam reddi, ut coronam juſtitiæ, bonorumque operum mercedem, id Baſilius notat, exemploque Pauli confirmat, ſic de ſe loquentis *q*. Ambroſium quoque hoc ipſum innui velle dixi per pronomen in illis verbis, *requiem tuam*. Apud Zenonem Veronenſem *r* lego *benefecit mihi*. In Hebræo עָלָיְכִי *hhalaiechi* littera ultima י *jod* redundat, nec poteſt eſſe nota pronominis primæ perſonæ, quia littera כ *caph* eſt pronomine affixo ſecundo perſonæ fœminini generis, & ablata י *jod*, diceremus עָלַיִךְ *hhalaich*. Quid ſi aliquando; aut alicubi fuit עָלֵינִי *hhaleni*? Nihil facilius, quam ex נ *nun* efficere כ *chaph*: tunc vero eſſet י *iod* paragogicum primæ perſonæ pronomen.

o Luc. 17. 21
p Pſ. 22. 3.
q 2. Tim. 4. 8
r ſermon. de reſurrect.

Verſ. 8.) Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Senſus loci.

BEneficia potiora enumerat, propter quæ redeundum cenſeat animæ ſuæ in priſtinam requiem, pacem, tranquillitatem ſuam: vel etiam in patriam, in Jeruſalem, in tabernaculum, arcamque. ubi cum quieſcente quodammodo Deo quieſcat ipſe. Ait, quod ex graviſſimis periculis mortis vitam, ac ſe liberavit Deus, omnem diſpulerit mœrorem, ac triſtitiam, qua confectus, in fletus, lacrymaſque reſolvebatur; ſuſtentaverit, ne decideret alio propellente, caſum, ruinam. Trevetus explicat de Davide toties mortis paſſo pericula, quum Saul perſequeretur ipſum, & Abſalon: de variis occaſionibus fletus, quas tunc habuit: qui etiam legitur fleviſſe in digreſſu à Jonatha *ſ*, & fugiens Abſalonem, quum aſcenderet clivum olivarum *t*: de occaſionibus labendi, & cadendi, offendendive in fuga per loca difficilia, & avia, ſoliſque ibicibus pervia *u*. Favent apud Euthym. quos tacito nomine refert. Similis in 55. *x* Pſ. locus eſt, qui inſcribitur *pro populo, qui à ſanctis longe factus eſt: quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, ut placeam coram Deo in lumine viventium*. In ſenſu myſtico intelliguntur beneficia tùm gloriæ, tùm gratiæ. Auguſt. de ſecundis potiſſimùm accipit duo prima, de primis tertium. Quamquam utraque utriſque aptari poſſunt. Etenim liberatur quis hìc per gratiam à peccati morte: ab anguſtiis importunarum tentationum: à peccandi iterum periculis; quod jam prius quoque in verſu præcedente attingimus. Beatus liberatur ab æterna damnatione: cumulatur, abſterſis lacrymis à Deo ipſo *y*, bonis omnibus; æterna fruitur, ſecuraque vita, quam amittere nullo tempore poſſit. Eſt, ait Nicephorus, perſtringens quæ prior dixerat Euthym. θάνατος ἡ ἁμαρτία δάκρυα οἱ πειρασμοὶ, ὀλίσθημα ὁ παρὰ τῶν ἀοράτων ἐχθρῶν ὑποσκελισμὸς, *mors peccatum lacrymæ tentationes, lapſus ſupplantatio ab inviſibilibus inimicis*. Videtur antitheſis, ut Baſilius obſervavit, ad præcedentia, quæ ſe paſſum Propheta dixerat, videlicet ad dolores mortis, pericula inferni, tribulationem, C & dolorem. Oſtendit verò vitam hanc totam noſtram nihil videri eſſe, niſi mortem, diſcurrendo permutationes in ſingulis unius hominis ætatibus. Suo Ambroſius *z* more imitatur hìc Baſilium. Rurſum ſcribit *a* gratulari Davidem his verbis mortis hujus remedio, quia finis factus eſt erroris, quia culpa, non natura (animæ) defecit: exutum, & quaſi liberum dicere, quod eſt in ſequenti verſu. Sed antitheſim illam Cajet. paullo clarius proponit circa dolores, funeſve mortis, tribulationem, & dolorem, ſive anguſtiam, & triſtitiam, poſtremo circa obſidiones foveæ, pro quibus legimus *pericula inferni*, ita ut primis opponatur liberatio animæ à morte, ſecundis oculorum à lacrymis, ultimis pedum à lapſu. Applicant eamdem ſententiam Chryſoſt. & Hugo ad Chriſtum reſurgentem, & aſcendentem. Sunt quidem, quæ hìc dicuntur negationes malorum; ſed per has intelligenda largitio bonorum. Proprium eſt afflictorum, ait Bernardus *b*, ut moleſtiis eximi, ſummam reputent fęlicitatem; & carere miſeria, ſummam beatitudinem arbitrentur. Unde Propheta in Pſ. *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, quia* D *Dominus benefecit tibi*; nec ulla tamen collatæ munera felicitatis enumerat, *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu*. In quibus ſane verbis patenter indicat quantam ſibi requiem, quantaque Domini beneficia judicet à tribulationibus, & periculis liberari. Tandem idem vult eſſe judicium de illo verſu Pſ. 90. c *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*.

ſ 1. Reg. 20. 41.
t 2. Reg. 15. 23.
u 1. Reg. 24. 3
x verſ. 13. & 1
Senſus myſticus.
y Apoc 7. 17. cap. 21. 4. Eſ. 25 8.
z de obitu Theodoſii.
a de bono mortis, c. 4.
b ſer. 10. in Pſalm. 90.
Afflicti moleſtiis eximi ſummam ducunt fœlicitatem.
c verſ. 10.

Quia eripuit animam meam de morte.) Hieron. in textu Fabri, & Victorii, *eruit*. Hebraicè חִלַּצְתָּ *chillatſtha* in ſecunda perſona, *eripuiſti, eruiſti, liberaſti*. Fortaſſis pro ultima littera ת *thau*, legerunt LXX. & Hieron. ה, *he* demonſtrativam ante nomen ſequens Chald. מִקְּטוֹל *miKKetol*, *ab occiſione*. *Anima* pro toto ſumitur, hoc enim eſt, quod occiditur & moritur, & cui vita eripitur, quæ etiam ſignificatur per *animam*, & quam conſtat ſecundùm ſubſtantiam non interire, non mori, non occidi. Tropologicè mors animæ peccatum eſt, gratiæque, ac Dei privatio. Probari poteſt quod ait Genebrardus, pendere hunc à ſequenti verſu, ut ſignificet David ſe, quia Deus eripuerit illum à morte, &c. placiturum ipſi, &c. Præteriti quoque temporis verba veriſimile eſt

Tropologicè mors animæ, peccatum eſt.

eſt ſumi pro futuris, ob certitudinem ſpei, ac prædictionis, ut ſæpe alias.

Oculos meos à lacrymis.) Nunc eſt עֵינִי *hheni*, *oculum meum*; ſed facile eſt id mutare in עֵינַי *hhenai*, & collectivè *oculus* pro *oculis* ponitur, quemadmodum דִּמְעָה *dimhhah lacryma* pro *lacrymis*. Pollicitatio Dei apud Eſaiam *a* eſt: *præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*: & Apocalypſi *b*: *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, & dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia*. Nimirum hujus temporis lacrymæ ſunt; hujuſque vallis, & *loci fluentium* c, ſive pœnitentiæ, ſive devotionis. Beati nunc *lugentes* poſt hanc vitam apud ſolos damnatos * *fletus cum ſtridore dentium* d: interim pœnitentibus, & juſtis utiles ſunt: improbis, qui non tanguntur pœnitentia, prælibatio quædam æternam lacrymarum. Blandæ Dei pluſquam matris manus lacrymas abſtergentis ſuorum, benignèque complectentis. *Omnem gemitum ceſſare faciet*, ut eſt apud eumdem Eſaiam *e*: *lætitia ſempiterna erit ſuper caput beatorum, gaudium, &* B *exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus* f. Fugiet nimirum ut longiſſimè remotus, ac in abyſſum tartaream projectus, recidat totus in caput reproborum, eorum præſertim, qui juſtis cauſſam dederunt lacrymandi. Quod apud eumdem Eſaiam g legimus, *omnem gemitum ejus ceſſare feci*, explicant aliqui *h*; reverti faciam, & omnes lacrymas, gemituſque, quos intulit Babylon populo meo, in ipſammet Babylonem: quod pluribus verbis dicitur in Apocalypſi *i*. Sicut juſtorum triſtitia vertetur in gaudium *k*; ita impiorum in triſtitiam, & *extremum gaudii eorum luctus occupabit* l. Jubet Deus in loco beatitudinis, ut *quieſcat vox à prolatu, & oculi à lacrymis, quia eſt merces operi beatorum* m, Ibi erit *oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris* n: *non occidet ultra Sol, & Luna non minuetur, quia erit Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus* o.

a cap. 25. 8.
b cap. 7. 17. & 21. 4. 5.
c Judic. 2. 5.
* Matt. 5. 3.
d Matth. 8. 12. c. 13. 42. 50. & cap. 22. 13. c. 24. 52. c. 25. 30.
e cap. 21. 2.
f cap. 35. 10. cap. 51. 11.
g cap. 21. 2.
h Caſtro.
i c. 18. 6. 7. 8.
k Joa. 16. 20.
l Pro. 14. 13.
m Jer. 31. 16.
n Eſa. 61. 3.
o cap. 60. 20.

Pedes meos à lapſu.) Hieron. *ab offenſa*. Alii, *ab impulſione, ſive expulſione, & propulſione, caſu, prolapſione, ruina*, quum nimirum quis alium dejicit, evertitve ſuppoſito crure, aliave re, aut in foveam præcipitat. Hebr. nomen דְּחִי *dechi* eſt à דָּחָה *dachah*, quod transfertur *impellere*, p, & *ſupplantare* q, impulſus, everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me: cogitaverunt ſupplantare greſſus meos. Nomen ὀλίσθημα de lapſu dicitur, præcipuè qui contingit in lubrico: ſed & de quovis alio. Euthym. & Niceph. explicant, ut ante dixi, per ὑποσκελισμοὺς, quum quis, ut modo etiam dicebam, ſubjecto alium crure evertit, dejicit, labefactat, ſupplantat vel incurſu ſive inceſſu, vel in lucta. Hoc divinum beneficium pedes liberandi à lapſu, his ipſis verbis in Pſ. 55. r poni monui, & in aliis duobus, quos nunc citavi. Adde 36. *ſ quum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*: & 17. t *non ſunt infirmata veſtigia mea*, & ſimiles alios, in quibus dicuntur non *commoti* beneficio Dei *pedes* u, aut *non offendiſſe* x. E contrario impiis imprecatur David *y vias in tenebris, & in lubrico, & Angelum Domini perſequentem eos*. Affirmat autem Sapiens *z* quod etiamſi *ſepties in die cadat juſtus*, tamen *reſurget*, quod explicatur tùm de caſu in calamitates tùm de lapſu in leviora peccata. Conſule dicta in Pſ. præcedentibus, quos nunc indicavi.

p Pſ. 117. 13.
q Pſal 139. 5
r verſ. ult.
ſ verſ. 24.
t verſ. 37.
u Pſal. 65. 9
Pſalm. 93. 18
Pſalm. 120. 2
x Pſal. 90. 12
y Pſal. 34. 6.
z Pro. 24. 16.

Verſ. 9.) Placebo Domino in regione vivorum.

Senſus loci.

PRoponit apud ſe, aut etiam ſibi gaudet, atque gratulatur tot, ac tantis affecto beneficiis à Deo, & Deo ipſi tacitè promittit, vovetque, futurum, ut reſtitutus ſibi, & poteſtatem nactus redeundi in patriam, in Jeruſalem, in tabernaculum, & arcam, placere ſtudeat illi, & placare muneribus, multo autem magis vitæ ſanctimonia, & proceſſu in oculis, atque præſentia ejus de virtute in virtutem, Illam ſe vivorum æſtimare regionem aſſerit, non ſolum ubi paſſim degunt quæ vivunt, ſed præcipuè ubi vivatur ſecundùm rationis præſcriptum, & conſentaneè ad vitam hominis propriam: colatur verus ac vivus Deus, quod ei epithetum crebro tradunt ſacræ litteræ, & ipſemet ſibi, non mortua ſimulacra; habitent homines Deo viventes per juſtitiam, & gratiam, quæ eſt animarum vita: ubi etiam ſuppetant vitæ corporali tranſigendæ opportuna, cœli, ac ſoli bonitas, victus abundantia, copia rerum ad honeſtam voluptatem conferentium. Myſticè regio vivorum Eccleſia eſt, & cœleſtibus beatorum habitatio præſertim, ubi poſt Reſurrectionem vivet cum anima corpus, nunc hìc *mortuum propter peccatum* a, ideoque meritò vocatum *corpus mortis* b. Placet juſtus hìc vivens Deo, ut ſæpius teſtantur ſcripturæ *c*, ſed nondum per omnia, quia nondum, *ſine omni macula, & ruga* d quamvis conandum, ut *per omnia placeamus* e, ſicut Chriſtus, *quæ Patri placebant, faciebat ſemper* f. Perpendit ac multis proſequitur verbis qui creditur Hieron. futuri temporis verbum, *placebo*, quia in hac vita placeri Deo perfectè non poteſt, ubi *occultis, & alienis* involvimur *peccatis* g. Ad cœleſtem reſpexit patriam Eccleſia in Officio pro defunctis uſurpans antiphonæ loco verſum iſtum, ut dudum ante monui. Hic ipſe plurium Enarratorum pſalmi ſenſus eſt, ſub nomine aut *cœli*, aut *ſinus Abrahæ*, nec non Ambroſii, *h*. Vocat ille *Regionem vivorum* ubi anima eſt, quæ ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facta eſt, non caro figurata de limo: ut ideo in terram caro revertatur, anima ad requiem feſtinet æternam. Citat Apoſtolum ſcribentem Corinthiis *i*, B *audemus & conſentimus* (*bonam voluntatem habemus*) *magis peregrinari de corpore: & adeſſe ad Dominum* (*præſentes eſſe*) *& ideo connitimur* (*contendimus*) *ſive abſentes, ſive præſentes placere illi*. Eadem reperio in homilia Baſilii, qui præterea dicit, ibi nulla externę rei cogitatione mentem interpellari. Iterum Ambroſius *k* ait dici *regionem vivorum*, quia ad eam peccata non penetrant; ſed virtutum vivit gloria: iſtam eſſe mortuorum, quia plena delictorum meritoque dictum eſſe, *ſine* l *mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Quem dicunt Hieronymum hoc loco probat hanc in qua verſamur mortuorum regionem eſſe, quia Chriſtus dixerit *Deum* m *Abraham, Iſaac, Jacob, Deum eſſe non mortuorum, ſed vivorum*. Atqui hoc dixit, non quia perfecti hi juſti extra peccandi periculum, ſed ob animarum immortalitatem. Verus Hieronymus *n regionem vivorum* terram, & lumen lucemve viventium vocans, idem habet de dictis Patriarchis, quorum Deus denominetur, & locum illum eſſe Sanctorum. Præterea citans illud Balaam *o*, ſecundùm LXX. *moriatur anima mea in animabus juſtorum*, interpretatur cupiviſſe mori ſæculo, at- C que peccato, ac vivere cum juſtorum animabus, quorum vita Chriſtus eſt, & poſſunt canere quod hìc habetur: Fuiſſe autem typum Gentilis populi, quia per etymologiam *Balaam* ſonat *populum vanum*; quoniam populus ille antea vanus deſideravit habere conſortium cum animabus juſtorum Abraham, Iſaac, & Jacob, qui εὐθεῖς, ideſt, *recti & juſti* nuncupantur: unde & Geneſeos liber ex eorum vocabulo nomen accepit, ut nempe appelletur *liber juſtorum*. Chryſoſtomus adhibet exhortationem ad concupiſcendam talem regionem, & adventum regni Dei *p*; hujus enim amore qui teneatur, nullis retineri, quo minus recta citoque illuc tendat impedimentis, nec etiam conſiderare *quæ videntur temporalia, ſed quæ non videntur æterna* q.

a Rom. 8. 12.
b cap. 7. 24.
Myſticus ſenſus.
c 1. Reg. 2. 26 lib. 4. 15. 3. 34 Tob. 14. 10. Judith. 8. 23. cap. 9. 16. Pſ. 55. 14. Pro. 12 22. cap. 16. 7. cap. 21. 3 Eccleſ. 2. 26. 27 cap. 9. 7. cap. 4. 10. 14. cap. 14. 19. Eccl. 30. 44. c. 4. 47 15 cap. 48. 18 25. 1. Corint. 7. 32 2. Epi. 5. 9. Coloſ 1. 10. 1. Theſ. 4. 1. 2. Tim. 2 4. Tit. 2. 9. Hebr. 11. 5. 6. cap. 13. 28.
d Eph. 5. 27.
e Colo. 1. 10.
Tit. 2. 9.
f Joa. 8. 29.
g Pſ. 18. 13. 14
h de obitu Theodoſii.
i 2. Ep. 5. 8. 9.
k de bono mor. cap. 9.
l Matth. 8. 22.
m Marc. 12 27. Matth. 22. 32. Ex. 3. 6. 15. 16.
n in Eſa. c. 38. & Ezech. 18. 26. 33. 37
o Num. 23. 10.
Balaam etymologia.
p Matt. 6. 10
q 2. Cor. 4. 18.

Placebo Domino.) Vetus Pſalt. Auguſt. Proſper, & is, qui dicitur Hieron. ac propterea non verus Hieron. *in conſpectu Domini*, quod & Græcè legitur ἐνώπιον κυρίου. Verus Hieron. *deambulando coram Domino*. Licet in Epiſtola ad Suniam, & Fretelam ſcribat *r* eſſe ſuperfluum, *in conſpectu*. Refert autem Chryſoſt. alium tranſtuliſſe D ἔμπροσθεν κυρίου *ante Dominum*: alium ἐμπεριπατήσω *deambulabo*. Alii, *coram faciebus Domini*, & exponunt ſub tutela ejus vivere, ac incedere, proficere, ſeu ire de virtute in virtutem, perfectum eſſe ipſo teſte proſperari faventibus oculis ejus, & præſentia. Talis forma qua dictum eſt Abraham à Deo *ſ ambula coram me, & eſto perfectus*: & *ambulaſſe* dicuntur *cum Deo* Enoch *t*, Noe *u*, Abraham *x*, Iſaac *y*: & Deus reprehendit *ambulantes ex adverſo ſibi* z, & contra ſe, minatus quod *contra ipſos incedet in furore contrario* a. Idem valet *ambulare poſt Dominum* b; vel *providere Dominum in conſpectu ſuo ſemper* c; vel *in conſpectu ejus ſtare*, ſeu *ante illum* d. Hebræa ſunt hoc loco אֶתְהַלֵּךְ לִפְנֵי יְהוָה *ethhallech liphne iehovah*. Primam vocem volunt ſignificare *Deo vacare per miniſterium ſacrum*, vel alter, quando nimirum conjungitur cum Deo, & efficit phraſim hujus loci, & ſimilium. Verterunt hìc LXX. εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου, atque eodem verbo utuntur in aliis locis in margine ante citatis, ubi etiam eſt idem Hebræum. Certè qui Deum præ oculis ut debet, habet, non poteſt non ei placere, & ei probari, gratus, acceptus eſſe, illius favorem conſequi, cujus videlicet omnes obſervat nutus voluntateſque

r Epiſt. 135.
ſ Gen. 17. 1.
t cap. 5. 22.
u verſ. 24. & cap. 6. 9.
x cap. 24. 40.
cap. 48. 15.
y cap. 48. 15.
z Lev. 26. 21
a verſ. 24. 27 40. 41.
b 4. Reg. 23. 3
c Pſal. 15. 8.
d 3. Reg. 17. 1 lib. 4. 3. 14. c. 5. 16.

teſque devota, alacri, humili devotione. In Pſalmi 55. A
extremo verſu eadem pæne ſententia profertur iiſdem verbis Hebræo, Græco, Latino *placendi*, εὐαρεστεῖν התהלך *hithhallech*. Relege ibidem annotata, Euthymius duplicem Græco verbo notionem dat, vel *delectabor*, vel *placebo*. Non ita propriè dicitur quis *delectari ante Dominum, coram Domino, in conſpectu Domini*, ſed *in Domino*, vel *de Domino*, vel *ſuper Domino*, &c. Communis eſt acceptio hoc loco pro *placendi* verbo, & ita exponit Apollinarius optativè.

ζώοντων ἀνὰ χῶρον ἄδ᾽ ἂν βασιλῆϊ φανεῖν.
Viventium in regione gratus Regi appaream.

Significat præterea εὐαρεστεῖν *libenter acquieſcere*, atque *hilaritate comprobare*: poſtremo etiam *promereri apud aliquem, eumque placare* a, ut, *talibus hoſtiis promeretur Deus* εὐαρεστεῖσθαι. *Placere* ſæpius redditur etiam in Teſtamento Novo b, & εὐάρεστος *placens*, & *placitum* c.

a Hebr. 13.16. b 2. Cor. 5.9. c Rom. 12.1. & 2. cap. 14.18. Epheſ. 5.10. Philip. 4.18. Tit. 2.9. Hebr. 13.21. d Pſ. 26.13. Pſ. 51.7. Pſ. 55. ult. Pſal. 141.5.

In regione vivorum.) Hieronymus, *in terris vivorum*. Eſt enim plurale ארצות *artſoth*. Multis, autem locis B aliis, *viventium*, vertit, ſicut etiam legimus in verſione ſimilium locorum d, quod parum refert. Plurale, *in terris*, numeri rationem tradit Genebrardus, ob varia proborum exilia, & captivitates, exponitque Davidem ſignificare velle ſe Deo placere ubivis, quoad fuerit in vivis, ſeu inter vivos, quamdiu dixerit, dum ſpiritum traxerit, & ſpiraverit: Cajetanus propter terras intra ambitum terræ promiſſionis, quaſi reliquiæ ſint mortuorum Deo, nec vere viventium, quia non colebant Deum. Iſtam ipſam cauſſam hic antea reddidimus cum aliis, quemadmodum Pſ. 26. e & 51. f ubi recitavimus alia teſtimonia. Pradus g aliam adit, quoniam juſti nonnulli reſurrecturi erant cum Chriſto h in terra promiſſionis, & ea fortaſſis de cauſſa, ut nempe ipſi quoque tunc reſurgerent Jacob, & Joſeph tantopere cupiviſſe illuc oſſa ſua transferri i. Non arridet multum hæc ratio, quoniam abſolutum nomen *regionis vivorum*, propter tam paucos, qui reſurrexerunt, præſertim ſi denuo mortui ſunt, illi regioni non videtur imponendum fuiſſe. Nec vero Campenſis debuit pro *terris* hic *atria* reddere. Exiſtimavit C fortaſſis legendum חצרות *chatſeroth*, quæ vox *atria*, & *villas* ſignificat. Temeraria ſuſpicatio, ſolam habens terminationis ſimilitudinem, & litterarum, excepta prima, & cum metatheſi litteræ ר *res* in צ *tſade*. In Regiis Bibliis Latinis malè collocatur in fine *Alleluja*. Pertinet ad Pſalmum ſequentem,

e verſ. 13. f verſ. 7. g in Ezech. cap. 26. h Matt. 27. 52. i Gen. 49. 29. cap. 50. 24.

PSALMUS
CENTESIMUS DECIMUS QUINTUS.

Alleluja.

1 Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

2 Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax. D

3 Qnid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?

4 Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

5 Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: 6. pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

7 O Domine quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

8 Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

9 Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: 10. in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Titulus & Argumentum.

Pſalmus hic ſecundùm Hebræos idem cum priore 114. & pars 116.

Alleluja.

Pſalm. hic à præcedēte per ſe diſtinctus.

STatuendum ante omnia cum Catholicis hunc eſſe per ſe diſtinctum Pſalmum à præcedente, non vero præcedentis partem, ut Hebr. volunt, & ceteri interpretes, ut Theodoretus teſtatur, ſimul Syrum nominans: nonum etiam bifariam diviſiſſe, ita ut iſtius, & prioris conjunctione numerum æqualem Pſalmor. 150. conſervent. Creditus Hieronymus docet in Hebraico unum eſſe Pſal. 114. & 115. & quod Quinta, atque Sexta editio copulant cum ſuperiore, Symmachus & LXX. dividunt. Beda hoc etiam teſtatur. De Aquila, & Theodotione nihil dicunt. Miror Agellium aſſentiri maluiſſe contrariæ ei quæ com- B munis eſt ſententiæ. Nec ratio illius valet ex Paulo petita, citante prima verba Pſalmi, quem numeramus 115. perinde ac ſi quantum ad ſenſum connecteret cum fine alterius, qui eſt nobis 144. Inde tantum fit præſentem præcedenti maxime conjunctum eſſe. Deinde quum hic auctor, nec nonum, nec centeſimum, decimum tertium patiatur in duos, non poteſt numerare 150. Pſalmos: in quo tamen omnes numero conveniunt.

Titulus.

De titulo nihil occurrit; Illum etiam Auguſtin. agnoſcit, ita ut hic præfigi debeat *alleluja*, non in fine Pſalmi prioris poni, quod ibidem quoque monui. Quod attinet ad argumentum, vel idem, vel ſimile eſt cum argumento Pſalmi præcedentis, videlicet gratiarum actio pro liberatione à perſecutione Abſalonis, vel votum, & promiſſio actionis gratiarum pro illo beneficio, atque propoſitum patienter ferendi aliam perſecutionem, ſi quando placuerit Deo eam immittere, ſeu permittere. Sub hoc typo continet Pſalmus gratiarum actionem, & promiſſionem vota perſolvendi pro æterna ſalute, quam jam in ſpe cœpit David poſſidere. Typus eſſet etiam Eze- C chias; ſi quod Anaſtaſius docuit, & attingit Beda, eſt vero minus probabile; ſub ipſius perſona loqueretur Pſ. & gratias agentem induceret de hoſtium cæde, ac ſeipſum accuſantem, quod poſt victoriam ſuſtuliſſet animos, unde in morbum inciderit, ideoque rogaverit, & à morbo recreatus ſit. Eadem ratio, ſi quod placet Cajetano, ſermo habeatur de occaſione ex perſequutione Saulis. Eadem, ſi quod Chryſoſtomo, & Baſilio in ſcholiis, ac Euthymio. Athanaſius ad Marcellinum inſinuat de liberatione captivitatis Babylonicæ, redituque in terram promiſſam: Eadem, ſi quod Theodoreto, de conſtantia Machabæorum, divinoque ipſis præbito auxilio. Obſtat opinioni Cajetani, quod Jeruſalem, in cujus medio vota ſe perſolutorum promittit David, adhuc erat ſub Jebuſæorum poteſtate quum regnaret Saul. Auguſtinus, Caſſiodorus, & alii Latini declarant Pſalmum de fide, quam Dei beneficio, qui edoctus fuerit, docente, vel etiam profitente apud alios, ac pro illius defenſione moriente ſi ſit opus, atque ita pro beneficio tanto gratias Deo referente palam, & coram omnibus. Pſalmus hic, ait Caſſiodorus, magnifico martyrum honore ſacratus D eſt, qui nobis & ad exemplum datus, & ad patrocinia largienda tributus eſt.

Tempus quo hic Pſ. ab Eccleſia frequentetur.

Recitatur quidem certè hic Pſalmus ab Eccleſia in officio de Apoſtolis, & de martyribus: & Paulus k uſus eſt primis verbis, ſcribens de conſtantia ſua in loquendo, quod crediſſet etiam cum aperto mortis periculo, de quo meminit l, atque animans ſeipſum per fidem de reſurrectione ſua, ſicut & Chriſtus reſurrexerat m. Non propterea hic ſenſus ſolus eſt litteralis, ut videntur velle, qui eum ſolum tradunt, & magis clarè, qui negant illos alios ſenſus, ut Burgenſis, Valentia, Rickelius. Sufficit ſi Paulum dicamus accommodatè ad propoſitum ſuum uſurpare voluiſſe dicta verba, & ſignificare, non quod haberet eumdem ſpiritum fidei, quem David in particulari circa reſurrectionem, & vitam æternam, ut Photius expoſuit, ſed aut idem donum Spiritus Sancti, quod eſt fides, & ſibi conceſſum ſit alios inſtituendum verbo, & ſcripto, ſicut David habuit ſaltem ad ſcribendum: aut eamdem fidem, quam habuerunt Patres veteris teſtamenti: aut, ut in hoc Pſalmo egregiè docet Chryſoſtomus, quod quemadmodū opus erat fide captivis in Babylone,

k 2. Cor. 4. 13. l verſ. 8. 9. 10. 11. 12. m verſ. 14.

ut ſibi reditum, & priſtinam fœlicitatem, quam ipſe A prædixerat priore pſalmo, perſuaderent ſic opus eſſe fide Corinthiis, ut reſurrectionem, de qua ſcribebat, atq; beatitudinem cœleſtem. Addit præterea id, quod dixi, ſignificari ab Apoſtolo eſſe ejuſdem Spiritus novum, vetuſq; Teſtamentum, eamdem fidem utriſque. Rickelius applicat pſalmum totum ad Chriſtum, & quia unus eſt ex iis, qui celebraturo Sacerdoti recitandi proponuntur, etiam ad iſtum. Quo item pacto Eccleſia eumdem adhibet in Officio de Corpore Chriſti. Athanaſius * ponit in numero εὐχαριστικῶν, eorum, qui gratias agunt, quod cognomen juxta ionum, & ſignificationem convenit eidem, prout de Euchariſtia uſurpatur: præterea aſſociat 114. utrumq; vero ab eo recitari poſſe, qui velit agere gratias Deo, quod ira illius ceſſaverit, ſolutaq; captivitatis fuerit: deinde illi proponit, qui habeat fidem, & confidat precibus, quas loquitur: poſtremo recenſet inter eos, qui gerunt pro titulo *Alleluja*.

* ad Marcellinum.

Verſ. 1. vel 10.) Credidi, propter quod loquutus ſum: Ego autem humiliatus ſum nimis.

Senſus loci.

PRopter nexam iſtius cum priore pſalmo, illiuſque præſertim poſtremis verbis, *Placebo Domino in regione vivorum*, omnes fere Enarratores ajunt Davidem, quia res illa ſit difficilis, proteſtari fide opus eſſe: ſeipſum enim non aliter cognoviſſe quam per fidem, & quod certo crediſſet, ac ſperaſſet, tam fidenter, & adeo diſertis verbi protuliſſe, quamvis rebus multis adverſis ſupra vires, & quodam modo uſq; ad deſperationem, defectumque vexatus fuiſſet. Hunc ſenſum Trevetus tradit ſatis clare, & alii recentiores præ ſe ferunt. Parum probabilis eſt expoſitio Lyrani, Ayguani, Rickelii, reprehendere Davidem ſemetipſum, quod nimis credulus Sibæ accuſanti Miphiboſet dominum ſuum, pari facilitate loquutus fuerit, decernendo ut dimidia hæreditate multaretur, & altera ſervo pars attribueretur a: hac autem de cauſſa humiliatum nimis per filii Abſalonis perſecutionem. Nec magis probandum Cajet. dicere Prophetam, quoniam Samueli regnum pollicenti, & Regem ungenti credidit, hoc ſociis communicaſſe fugæ ſuæ, ut bono eſſent animo ponerentq; in Deo ſpem ſuam, tametſi videret ipſe ſe, & ipſum illi, valde humiliatum, & af- C flictum. Videri poteſt Paulus b, de ſuis ſcribens afflictionibus, & hunc locum citans, ut ſe in ſpe confirmet reſurrectionis, atq; beatitudinis, ſenſum, quem initio poſuimus, vidiſſe, ac ſequutus fuiſſe, ut attentè illum legentibus conſtabit. Qua in re Agellio aſſentior, & Bellarmino, qui id obſervarunt, & ipſi paullo ante agentes de argumento pſalmi attigimus. Favent omnino Chriſoſt. Baſilius in ſcholis, Theodoretus; ſed in homilia idem Baſilius, ac præterea Euth. atq; Niceph. accommodant eumdem ſenſum ad fidem *de regione vivorum* nominata in extremo priore pſalmo, quatenus accipitur pro cœleſti, ac beatorum regione, quæ ſub oculos mortaliū non cadit, & pro qua credenda cum lumine divinæ fidei requiritur, ut ſe intellectus, menſq; modeſtæ humilitati ſubſternat. Latini referunt ad fidem de Chriſto, quam ſequatur profeſſio, & prædicatio, & propter hanc humiliatio perſecutionis, quale paſſi ſunt Apoſtoli præcipuè, atq; Martyres. Arnob. innuit humiliationem propriam, qua quis dum credit, & verbis etiam expreſſit natum, & paſſum Chriſtum, ſic ſecum loquens ratiocinatur, (Si Dominus rerum *exinanivit ſeipſum, & pro me formam ſervi ſuſcepit* D c, quid ego miſer faciam? quid retribuam? &c.) Origenes d non diſſentit à Latinis: Davidem namq; dicere, ſe ſpretis inanibus hominum doctrinis, nactum eſſe divinam fidei cognitionem, nec proinde ſuperbia elatum: poſtea quum obſtupeſceret vanitatem dictarum doctrinarum, pronuntiaſſe, omnes homines per ſe conſideratos videri mendaces: tùm verò pro beneficio divinæ cognitionis, quum nihil haberet, quod redderet, reddere voluiſſe ſummum illum aliud beneficium calicis, & paſſionis Chriſti, atq; gratiam ipſius conſervare; idq; non ſuis viribus, ſed ejuſdem nomine invocato, quia pretioſa ſit apud illum mors pro deitate, & pro veritate ſuſcepta.

a 2. Reg. 16. 3. 4. 21. b 2. Cor. 4. 8. & ſeq. c Philip. 2. 7. d tom. 2. in c. 3. epiſt. ad Rom.

Credidi.) Verbum iſtud non abruptè prorſus poſitum reſpondent, qui referunt ad ultimum verſum pſalmi præcedentis, ut Hebræi & quidam alii; aut qui ordine admodum conſentaneo, ut loquitur Baſilius, hunc pſalmum A collocatum dicunt poſt eum, qui proximè præceſſit. Alii ſupplent *Deo*, vel *omnia*, quæ ad credendum propoſita ſunt, Rickelius de Chriſto quoq; declarat, qui ſe crediſſe dicat, quatenus eo verbo non fides obſcura ſignificatur, ſed certa ſcientia, quam ut homo accepit à Deo: præterea de Sacerdote, qui ſe profiteatur crediſſe quæ ſpectant ad Euchariſtiam. Similis fuit dicendi modus in exordio pſalmi prioris, *Dilexi*. De fidei neceſſitate Baſilius in homilia diſputat, deq; efficacia ejuſdem. Idem facit Chryſoſt. in quo cautè lege quod aſſerit, ad recipiendam fidem Cornelius præoccupans, ſeipſum dignum reddi. Pelagianorum error eſſet, ſi intelligeretur ea præoccupatio, & meritum ſine gratia. Semper Deus in hoc genere, ac ordine rerum pertinentium ad juſtificationem, ſalutemq; primus eſt, & Auctor gratiæ vocantis, ſeu excitantis, & nulla diſpoſitio vera eſt abſq; gratia hujuſcemodi. Quamquam in fide latitudo eſt, ut per minus perfectam, & explicitam poſſit quis diſponere ſe cum gratiæ auxilio, ad magis perfectam, & explicitam. Deprehendi poſtea cautionem adhibitam à Sixto Senenſi e ad hunc locum Chryſoſt. Quantælibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos, inquit Auguſt. f, diſſerens contra B Pelagianos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit. Ipſorum enim vox eſt, *Credidi propter quod loquutus ſum*. Unde ait Apoſtolus g, *Habentes eumdem ſpiritum fidei ſecundum quod ſcriptum eſt, Credidi, propter quod loquutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur*. Quid eſt *eumdem ſpiritum*, niſi quem juſti quoque illi habuerunt, qui iſta dixerunt? Hoc ipſum docet eumdem eſſe Deum, ac ſpiritum Prophetarum, & Apoſtolorum atque novi, & veteris Teſtamenti, ut ex eodem Pauli loco infert præterea Novatianus h.

e lib. 5. Biblioth. annotat. 2. 60. & lib. 6. annot. 251. f lib. 1. contra duas epiſtol. Pelag. c. 21. g 2. Cor. 4. 13. h de Trin. c. 29. apud Tertul.

Propter quod loquutus ſum. Cajet. vult metri cauſſa poſtpoſitam particulam כי *chi*, ſicut dicebat circa prima præcedentis pſalmi verba, ita ut ſit ſenſus, *quia credidi, loquutus ſum*. Eodem redit ſenſus. Campenſis autem pro *credidi* reddens, *verum dixi*, totum verſum cum ſequenti ſic interpretatur; *verum dixi quum loquerer in vehementi afflictione mea, quum dicerem in extaſi; omnis homo mendax*. Apollin. exponit verum de Deo ſermonem cum fiducia in illum ἀτρεκέως ἐλάλησα θεῷ βασιλῆϊ πιθήσας. *Vere locutus ſum Deo Regi confidens*. Habet *credendi* verbum quan- C doq; rationem *fidendi*, ac *ſperandi*, ut i, *ſcio cui credidi*, &c. Hinc eliciunt neceſſarium eſſe *ore fidem confiteri ad ſalutem*, non tantum *corde credere ad juſtitiam* k. Væ enim tacenti, quum loquendi, atq; confitendi tempus eſt. Helcheſaitarum hic error fuit, ſufficere conceptam animo fidem, quamvis eam qui neget ore l. *Erubeſcet Chriſtus coram Angelis Dei, qui erubuerint ipſum coram hominibus* m. Sed nec loquendum eſt de rebus fidei, niſi ei qui crediderit, ita ut ſit paratus rationem reddere de ea, quæ in ipſo eſt fide, ſive docendo, ſi ad hoc vocetur, ſive aliter teſtificando. Accepit Zacharias Joannis pater, ſupplicium taciturnitatis, merito infidelitatis n, quia non credidit, tacuit. Si enim rectè dictum *credidi propter quod loquutus ſum*, quia Zacharias non credebat, meritò non loquebatur, inquit Auguſt. o. Significatur præterea ex divino inſtinctu atq; inſpiratione Davidem locutum; ſicut, & ad Prophetas, & ad majorem Prophetis Joannem factum dicitur verbum Domini priuſquam aut loquerentur, aut ſcriberent. Verbum enim, ait Ambroſ. p, agens de Joanne; prius intus operatur, ſequitur vocis officium. De ſeipſo David ſcripſit q, *Spiritus Domini locutus eſt per me, & D ſermo ejus per linguam meam. Spiritu Sancto inſpiranti loquuti ſunt ſancti Dei homines*, inquit Petrus r. *Conceptus ſermo contineri non poteſt* ſ, *ex abundantia cordis os loquitur* t: *& eructat cor verbum bonum* u. Malum verbum, vel certe non bonum, & pertinens ad ſalutem, qui non credit, loqui non poteſt, ſed falſa, erronea, turpia, vana, inutilia, noxia ſi credas, ut ſcribit idem Ambroſ. x, habes ſpiritum ſapientiæ, quum credideris, accipies loquendi gratiam. Cauſſas Ayguanus, enumerat propter quas qui credit tacet, metum jacturæ temporalis, quod eſt *abſcondere creditam pecuniam* y; vel voluptatis carnalis, quod *eſt in ſudario ponere* z; vel ignorantiæ, quia ſcit ſe indignum, quum ſic peccator a, vel ignorantiæ, quia non ſatis intelligit quæ credit, vel ob humilitatem, ſimplicitatem bonam, qualis erat in Jeremia b: vel quoniam non ſunt capaces auditores, nec valent dicenda portare c.

i 2. Tim. 1. 12. k Rom. 10. 10. Helcheſaitarum error. l Euſeb. 6. hiſt. c. 28. m Luc. 9. 26. n Luca 1. 20. 22. o lib. 50. hom. in 44. p in Luc. c. 3. q 2. Reg. 23. 2. r epiſt. 1. 21. ſ Job 4. 2. t Matth. 6. 45. u Pſal. 44. 2. x in pſ. 36. Cauſſæ propter quas qui credit tacet. y Matth. 25. 18. 25. z Luc. 19. 20. a Pſ. 49. 16. b cap. 3. 6. c Joa. 16. 12.

Ego autem humiliatus ſum nimis.) Hieron. & Auguſt. in ſpeculo, *afflictus ſum nimis*, quod ſignificat עניתי